EDMUNDI HALLEII

ASTRONOMI DUM VIVERET

REGII

TABULÆ ASTRONOMICÆ.

ACCEDUNT

DE USU TABULARUM PRÆCEPTA.

LONDINI

Apud GULIELMUM INNYS.

MDCCXLIX.

PRAEFATIO.

PRODEUNT tandem celeberrimi Halleii Solis & Planetarum Tabulæ; typographo quidem Anno 1717 ab ipso traditæ, Annóque 1719 typis expressæ. Deerant tamen tabulæ quædam vulgares, & Præcepta calculi, cùm Auctor Anno 1720 Flamstedii in Observatorio regio Successor constitutus, earum editionem distulit, ut numerorum Lunarium errores ex propriis observationibus detegeret, & eorum Abacum simul cum tabulis in lucem daret. Hoc ut ab Astronomis fieret, diù sanè cupidissimè exoptaverat, ut inde æquationum Lunarium notiorum magnitudines accuratiùs innotescerent, & latentes adhuc æquationes detegerentur. Ipse tandem annum agens sexagessimum quartum, summo corporis & animi vigore fretus, quo ad id ætatis usus erat, opus hoc arduum aggressus est, & præter omnium expectationem absolvit. Observatorium instrumentis astronomicis omnino destitutum acceperat: illa quippe, quibus Flamstedius usus est, privati juris erant, & hæredes sequebantur. Anno tamen 1721 telescopium ad transitus siderum observandos nactus, ascensiones Lunæ rectas per annos quatuor continuos diligentissimè observavit, & cum tabularum suarum computo contulit: donec ingens ille Quadrans anno 1725 sumptibus publicis Observatorii muro affixus, longitudines Lunæ ex observationibus supputandi compotem reddidit; à die igitur Dec. 5to illius Anni, ad diem Dec. 27um anni 1739 longitudines Lunæ observatæ cum computo tabularum collatæ in observationum abaco inveniuntur.

Si Auctor noster has suas tabulas ipse edidisset, procul dubiò de observationibus, quibus ad eas condendas usus est, aliquid dixisset; fortasse etiam numerorum correctiones quasdam indicasset. Hæc quidem à nobis nequaquàm sunt expectanda. Pauca tamen monitum Lectorem volumus, quò magis æquum de illis ferat judicium.

Flamstedii observationibus præcipuè usus est noster, quæ quamvis magnâ diligentiâ factæ fuerunt, & summâ fide traditæ, pauciores tamen sunt, quàm quæ ad numeros Solares stabiliendos sufficiant. Hanc observationum inopiam sæpe cum amicis Halleius,

* dum

dum viveret, questus est. Hinc neque speciem orbitæ terrestris, neque positionem ejus, satis accuratè definire valuit; multò minus æquationes Apogæi solis, & alias quasdam, quibus orbita terrestris minimè immunis est, detegere potuit. Hæ nempe non nisi longâ multarum observationum serie deprehendi & definiri possunt: Adde, quod tùm temporis ignorabantur æquationes Aberrationis luminis fixarum, Præcessionis æquinoctiorum, & Inclinationis axis terræ, quas omnes, mirâ in observando industriâ pariter ac sagacitate, primus detexit summus ille astronomus Rev. Jacobus Bradleius, S.T.P. R.S.S. in Academiâ Oxoniensi Astronomiæ Professor Savilianus, & Auctori nostro in Observatorio regio Successor dignissimus. Hæ æquationes, licet parvæ sint, errores tamen sensibiles in bonas observationes inducere valent, & Flamstedium mirè torserant. Cùm verò astronomia à Sole tota pendeat, ex erroribus solaribus errores in omnium Planetarum numeris producantur, necesse est.

De Auctoris nostri labore & sollertiâ in tabulis lunaribus condendis, judicabunt ii qui observationum multitudinem pænè infinitam ad tot æquationum magnitudines definiendas necessariam noverint. Et quanto cum candore in hisce suis laboribus cum publico communicandis egerit, exinde patet; quod tabulas hasce tanquam exactas proponere nequaquam cogitavit; quinimò æquationes quasdam penitùs omittere voluit, quoniam ad ipsas satis accuratè determinandas, nondum suppeterent observationes idoneæ; tum etiam errorum, quos in tabularum computo per octodecim annorum seriem observatione sedulâ deprehenderat, abacum confecit, & unà cum tabulis edere decrevit.

Catalogo Britannico ad Lunæ ascensiones rectas ex fixarum observatione indagandas usus est Noster, in quo fixarum quarundam loci minus accuratè determinati inveniuntur; &, si observationum ejus editionem sperare liceret, fixas illas indicare, ut inde Lunæ loci ab illis derivati corrigerentur, operæ pretium foret. Utinam Auctor, dum viveret, illas edidisset; magni enim interest, ut Observationes astronomicæ publici juris fiant, quippe quæ nunquam, ut tabulæ, tractu temporis exolescant, sed si diligenter factæ fuerint & bonâ fide traditæ, majorem utilitatem ex antiquitate ducunt: optandum propterea foret, ut sumptibus publicis subindè ederentur observationes ab Astronomo regio factæ; quo enim magis sedulus observator fuerit, eo magis publici interest ut ejus edantur observationes,

eòque

eòque minus privati hominis facultatibus impensæ ad illas edendas necessariæ conveniunt.

Numerorum Mercurialium correctiones edidit Auctor in Reg. Societatis Actis philosoph. N°. 386, *ubi Epocham motûs medii hujus planetæ ad annum Julianum* 1723 *ineuntem* s 19°. 9'. 31" *statuit; motúmque medium in annis Julianis centum* 2s. 14°. 2'. 13", *& Nodi ascendentis à primâ stellâ Arietis distantiam* 0°. 15'. 41" *invenit.*

Satellitum jovialium tabulas Anno 1718 *Halleio tradidit edendas Rev. J. Bradleius. Cum cælo tamen hodie minimè consentire deprehenduntur; quod Auctori non penitùs inexpectatum accidisse patet ex ipsius in easdem notis.*

Synopsis astronomiæ cometicæ, eodem tempore quo tabulæ, typis expressa est. Observationum abacum variis temporibus typographo tradidit Auctor, dum observationibus incumberet.

Quid in hisce edendis à nobis præstitum sit, paucis nunc dicendum.

Deerant tabulæ mediarum conjunctionum Lunæ cum Sole, Refractionum, & Longitudinum & Latitudinum Urbium celebriorum; quas omnes suis locis inseruimus.

Tabulas mediarum conjunctionum, & Periodorum lunarium, summâ cum humanitate nobiscum communicavit Rev. J. Bradleius, à celeberrimo dum viveret Astronomo Rev. Dno. Poundio artificiosissimè constructas. Periodorum lunarium tabula, eclipsium revolutionibus indicandis est utilissima; ideoque abacum eclipsium quæ periodo 223 *lunationum ab Anno* 1701 *ad annum* 1718 *contigêre, quem cum æquationibus ad revolutionum tempora corrigenda, auctor huic usui destinaverat, & Periodum Plinianam* nuncupaverat, omisimus; utpote qui minùs accuratè revolutionum tempora repræsentaret, & post paucas periodos exactas inutilis fiat. Refractionum tabula ea est, quâ semper usus est Auctor. Urbium & Locorum eclipsibus antiquis, vel recentiorum observationibus præcipuè insignium Longitudines & Latitudines in tabulam conjecimus: utinam magis fidas observationes ad earum plerasque stabiliendas haberemus. Elevationem Poli Observatorii Grenovicensis, quâ Flamstedius & Halleius usi sunt, retinuimus, quamvis minutis aliquot secundis verâ minorem eam credamus.*

* *Vid. Act. Philosoph. n.* 194. *p.* 535.

In:

In præceptis computi tradendis, methodum, quâ Halleius ipse tabulis utebatur, scrupulosè secuti sumus, ne errores diversi ab illis, qui in Abaco inveniuntur, proveniant. Si nempe æquatio Lunæ quarta post æquationem centri applicetur, vel rudis illa argumenti ejus correctio, quam in margine paginæ (b) 4 *indicavimus, negligatur, errorum differentia ad minuti unius primi semissem quandoque assurgere potest; quod errorum Abacum tabularum correctioni minùs utilem redderet. Hic tamen monendus est Lector, quod ex Halleii chartis comperimus, ipsum, in Limbi Lunæ ascensionibus rectis ex computo inveniendis, & in centri ejus longitudinibus ex observatione indagandis, semidiametro Lunæ apparente, veræ ejus semidiametri loco constanter usum fuisse; indeque factum est, ut ab observationum initio usque ad finem ferè anni* 1725, *à novilunio ad plenilunium dum præcedens Lunæ limbus observabatur, ascensiones ejus rectas ex computo inventas minores quàm oportuit, in Abacum retulerit, & à plenilunio ad novilunium dum limbus sequens observabatur, majores: ab Anno verò* 1725, *longitudines centri Lunæ ex limbi præcedentis observationibus deductas, veris ejus longitudinibus majores exhibuerit; & ex limbi sequentis observationibus, minores. Error quidem non magnus est, utpote quadrantem minuti unius primi raro superans; & in computis vulgaribus negligi potest, ideóque mentionem ejus nullam in præceptis fecimus. Quicunque verò motus Lunæ medios corrigere, vel æquationes reformare suscipiat, errores in Abaco inventos, excessu semidiametri Lunæ apparentis secundùm Ascensionem rectam vel secundùm Longitudinem, supra semidiametrum ejus horizontalem secundùm easdem mensuras, corrigere debebit.*

Brevitati quantùm licuit studuimus; methodum tamen ad Longitudines terrestres ex observationibus Lunæ investigandas, in navigantium gratiam pluribus exemplis illustravimus.

De uſu Tabularum.

MONITUM I.

De Tempore aſtronomico.

TEMPUS illud quod apparens appellatur, à centri Solis per meridianum circulum tranſitu, ad ipſius in eundem meridianum reditum numeratur. In hoc nempe temporis ſpatio naturalis dies abſolvitur. Cùm verò hi dies ſint inter ſe inæquales, motus medii Solis & Planetarum ſatis aptè ad eos accommodari nequeunt. Ad tabulas itaque mediorum motuum condendas, finxêrunt aſtronomi diem medium ſeu æqualem, ad cujus meridiem medios motus in tabulis accommodant. Hunc in ſequentibus Meridiem æquatum vocabimus. Si igitur quæratur locus Solis vel Planetæ ad tempus quodvis apparens datum, convertendum eſt illud in tempus medium, ope Tabularum æquationis temporis (C c 3), & ad hoc tempus, medii motus in Tabulis quærendi ſunt.

MONITUM II.

De Tabulis Epocharum.

Solis & Planetarum motus medii in Epocharum tabulis, ad meridiem æquatum ultimi diei Decembris anni Juliani proximè præteriti exhibentur. Scilicet Anomalia media Solis in tabula Epocharum ad annum 1722, eſt ejus Anomalia media ad meridiem illum fictum diei 31 Decembris Anni 1721. Temporis autem computus ad meridiem Obſervatorii Regii Grenovicenſis accommodatus eſt.

PRÆCEPTA CALCULI SOLIS.

Ad datum tempus Longitudinem Solis veram invenire.

1. E Tabulis *Epocharum* (D d & ſeq.) & *Mediorum motuum Solis* (D d 3 & ſeqq.) colligantur Anomalia media & Longitudo Apogæi Solis ad annum, diem, & partem diei datam.

2. Anomaliæ Solis mediæ addatur longitudo Apogæi ejus, earum summa erit Solis longitudo media.

3. In tab. *Æquationum Solis* (E e 3) inveniatur æquatio anomaliæ Solis mediæ respondens. Hæc à Longitudine ejus mediâ subducta, vel eidem addita, secundùm tabulæ indicem, dabit veram Solis Longitudinem ad tempus medium tabularum.

4. Si tempus datum fuerit apparens, in tabula *Æquationis Temporis* priori (C c 3) quæratur æquatio quæ ad longitudinem Solis veram respondet; in altera, vero *Æquationis temporis* Tabula inveniatur ea quæ ad mediam ejus Anomaliam; harum summa si ambæ sint addendæ vel subtrahendæ; vel differentia si altera addenda altera subtrahenda fuerit, erit æquatio temporis absoluta, quâ augeatur vel minuatur tempus apparens datum, & ad tempus sic correctum denùo quæratur locus Solis. Vel si additione aut subductione quantitatis motûs medii æquationi temporis absolutæ proportionalis, corrigatur longitudo Solis vera prius inventa, habebitur quam proximè longitudo ejus vera ad tempus apparens datum. Tabula, quæ (C c 4) habetur, Æquationem temporis absolutam ad veram Solis Longitudinem exhibet, & ex duabus prioribus componitur. Sed propter motum Apogæi Solis non est perpetua.

EXEMPLUM.

Quæritur Longitudo Solis vera ad Meridiem 20 diei Januarii apparentem Anno 1722.

In *Epocharum* tabula ad annum 1722 habentur Solis Anomalia media 6s. 12°. 37′. 56″. & Longitudo Apogæi ejus 3s. 8°. 0′. 24″, his addantur motus Anomaliæ mediæ pro diebus Jan. 20, 0s. 19°. 42′. 43″, & Apogæi (cujus motus pro mense completo habetur in imâ tabulâ) 3″, fit media Solis Anomalia ad meridiem æquatum 20 Januarii 7s. 2°. 20′. 39″, & longitudo Apogæi ejus 3s. 8°. 0′. 27″. quarum summa 10s. 10°. 21′. 6″ est Solis Longitudo media ad idem tempus. Prosthaphæresis Solis ad 7s. 2° Anomaliæ mediæ est 1°. 2′. 47″, illa vero ad 7s. 3°, est 1°. 4′. 31″, earum differentia 1′. 44″. & cum crescente Solis Anomalia media, crescat etiam æquatio, æquationi harum minori 1°. 2′. 47″ addatur hujus differentiæ pars proportionalis 36″ & fiet 1°. 3′. 23″ Prosthaphæresis Solis ad Anomaliam mediam 7s. 2°. 20′. 39″ respondens, quæ secundum tabulæ indicem Longitudini Solis mediæ addita dabit = 11s. 24′. 29″ Longitudinem ejus veram ad tabularum tempus medium. Quæratur nunc aquatio temporis, cujus pars quæ a Longitudine solis pendet invenietur in tabulâ priori ubi 9 m. 52 s. Longitudini solis = 11s. 24′ respondent; pars altera ad Anomaliam ejus mediam 7s. 2°. 20′ est 4 m. 13 s. & cum ex indicibus tabularum ambæ sint addendæ earum summa 14 m. 5 s. est æquatio temporis absoluta, quâ tempus apparens auctum in medium convertetur. Ut habeatur igitur Solis vera Longitudo ad meridiem diei propositi apparentem, computus denuò instituendus est ad 14 m. 5 s. post meridiem tabularum æquatum. Vel si Longitudini supra inventæ addatur arcus 35″ quem Sol spatio temporis 14 m. 5 s. medio suo motu percurrit, fiet = 11s. 25′. 4″. Longitudo ejus vera meridie apparente 20 Januarii Anno 1722, quam proximè.

Diagramma

Diagramma Calculi.

		☉ Anom. med. s	°	′	″	Longit. Apogæi. s	°	′	″
Anno	1722	6	12	37	56	3	8	0	24
Jan.	20	0	19	42	43				3
		7	2	20	39	3	8	0	27
		3	8	0	27				
☉ Long. med.		10	10	21	6				
Prosthaphæresis		+	1	3	23				
☉ Long. vera		=	11	24	29				
Pro. æq. temp.				+	35				
		=	11	25	4	Long. ☉ vera Jan. 20, 1722, quam proximè.			

		m.	s.
Æquatio temp. prior	+	9	52
Æquatio temp. altera	+	4	13
Æq. temp. absoluta	+	14	5

Inventa Solis Longitudine vera, ejus Declinatio in tabula *Declinationum* (B b) habenda eſt, & Aſcenſio recta in tabula *Aſcenſionum rectarum* (B b 2 & ſeqq.)

PRÆCEPTA CALCULI LUNÆ.

Tempus medium Syzygiarum ad Annum & Menſem datum invenire.

1. E Tabulis *Epocharum mediarum Conjunctionum Solis & Lunæ*, (* E e & ſeq.) & e Tabulis *Revolutionum Lunæ ad Solem in menſibus anni communis* (* E e 4) colligantur dies & partes diei ad annum & menſem datum, unà cum Anomaliâ Solis mediâ & mediis Solis diſtantiis ab Apogæo Lunæ & Nodo. In annis Biſſextilibus, poſt Februarium numerus dierum in Tabula menſium uno die minuendus eſt. Si quæratur Oppoſitio, dimidius menſis Synodicus tempori addendus eſt; & motus huic tempori reſpondentes, motibus etiam ſunt addendi.

2. Ope Anomaliæ Solis mediæ capiantur è tabulis *Æquationum annuarum* (L l 3 & ſeq.) Æquationes Apogæi Lunæ & Nodi, quæ ſi ſecundum indices tabularum addendæ ſunt, ſubducantur a mediis Solis ab Apogæo Lunæ & Nodo diſtantiis, & vice verſa; & habebitur ejus diſtantia ab utroque ſemel æquato. Proſthaphæreſis Solis his addita vel ſubducta ſecundum indicem tabulæ dabit Argumentum Lunæ annuum & diſtantiam veram Solis a Nodo ſemel æquato.

3. Diſtantia Solis media ab apogæo Lunæ ſemel æquato, ſubducta a mediâ Solis anomaliâ, eſt in Conjunctionibus argumentum quartæ æquationis Lunæ: verum in Oppoſitionibus huic Argumento, itemque Argumento annuo, addenda ſunt ſex ſigna.

4. In Tabula *Æquationum annuarum Lunæ* (L l 3 & ſeq.) inveniatur æquatio ejus annua mediæ Solis Anomaliæ reſpondens. In tabula *Æquationis ſemeſtris alterius* (M m) ope Solis a Nodo diſtantiæ, inveniatur æquatio Lunæ tertia. In tabula *Æquationis Lunæ quartæ* (ibid.) inveniatur æquatio quarta ad argumentum huic æquationi proprium. In Tabula demum *Æquationum Lunæ in Syzygiis* (O o 3) inveniatur æquatio ad argumentum annuum reſpondens. Harum omnium æquationum ſumma, ubi tempus mediæ ſyzygiæ cum tempore veræ congruit, (quod rarò fit) Solis Proſthaphæreſi æqualis erit. Ubi autem

vera

vera ſyzygia mediam præcedit, æquationum Lunarium ſumma Proſthaphæreſin ſolarem ſuperabit: & ubi media ſyzygia præcedit veram, Solis Proſthaphæreſis ſummam ſuperabit æquationum Lunarium. Differentia igitur inter hanc ſummam & Proſthaphæreſin ſolarem, ope Tabulæ *Motus horarii Lunæ a Sole* (* * E e 2) dabit tempus inter ſyzygiam mediam & veram, quam proximè.]

EXEMPLUM I.

Quæritur tempus medium Novilunii menſe Julio Anno 1684.

	Conj. media.	⊙ Anom. med.	⊙ ab Apog. ☽	⊙ à ☊		
	D h m s	s ° ′ ″	s ° ′ ″	s ° ′ ″		° ′ ″
1684.	6 13 22 38	6 18 57 15	9 19 6 8	6 0 25 39		
Jun. Biſſ.	25 4 24 18	5 24 37 56	5 4 54 3	6 4 1 24	1 Æq. ☽	+ 0 2 41
					3a	− 0 0 6
Julii	1 17 46 56	0 13 35 11	2 24 0 11	0 4 27 3	4ta	− 0 2 16
Pro. diff. Æq.	+ 8 54 6	−2 24 4 47	+ 4 36	− 2 11	Æq. in ſyz.	− 4 58 24
6 Julii	2 2 41 2	9 19 30 24	2 24 4 47	0 4 24 52	Summa	− 4 58 5
		Arg. 4. Æq.	− 26 47	− 26 47	Proſth. ⊙	− 0 26 47
			2 23 38 0	0 3 58 5	Diff.	4 31 18
			Arg. Annuum.	⊙ à ☊	Horæ 8 =	4 3 49
						27 29
					Min. 54 =	27 26
					Sec. 6 =	0 3

Tempus igitur Conjunctionis medium menſe Julio Anno 1684 fuit Die 2. hor. 2. min. 41.

EXEMPLUM II.

Quæritur tempus medium Plenilunii menſe Auguſto Anno 1681.

	Conj. media.	Anom. med.	⊙ ab Apog. ☽	⊙ a ☊		
	D h m s	s ° ′ ″	s ° ′ ″	s ° ′ ″		° ′ ″
1681.	8 22 12 45	6 22 3 19	1 23 52 52	4 5 37 4	1 Æq Lunæ	+ 0 10 9
Julii	25 17 8 21	6 23 44 15	6 0 43 3	7 4 41 38	3a	+ 0 0 10
½ Menſ. ſyn.	14 18 22 2	0 14 33 10	0 12 54 30	0 15 20 7	4ta	− 0 0 19
					Æq. in ſyz.	− 4 40 41
Auguſti	18 9 43 8	2 0 20 44	8 7 30 25	11 25 38 49		
Pro. diff. æq.	+ 5 36	−8 7 47 37	+ 17 12	− 8 11	Summa	− 4 30 41
					Proſth. ⊙	− 1 40 2
8 Aug.	18 15 19	5 22 33 7	8 7 47 37	11 25 30 38		
		+ 6	− 1 40 2	− 1 40 2	Diff.	2 50 39
					Horæ 5	= 2 32 23
		11 22 33 7	8 6 7 35	11 23 50 36		
		Arg. 4tæ Æq.	Arg. Ann.	⊙ à ☊	Min. 36	= 18 16
			+ 6			
			2 6 7 35			
			Arg. Æqq. in ſyz. 8			

Tempus igitur Oppoſitionis medium fuit Aug. 18 D 15 h 19 m

Tempora hoc modo inventa paululum a veris ſyzygiarum temporibus aberrabunt, & corrigenda ſunt inveniendo locum Lunæ verum ope *Tabularum Anomaliſticarum* (F f & ſeqq.) per præcepta ſequentia.

Locum

Locum Lunæ verum ad datum Conjunctionis vel Oppositionis tempus medium invenire.

1. Inveniatur Longitudo Solis vera ad datum tempus, & capiatur Anomalia ejus media ad minuta tertia.

2. In tabulis *Epocharum mediorum motuum Lunæ existente Terra in Aphelio* (F f & seq.) inveniantur mediæ Longitudines Lunæ, Apogæi ejus, & Nodi, ad tempus Aphelii proxime præcedens tempus datum.

3. E Tabulis *Mediorum motuum ad gradus Anomaliæ Solis mediæ* (F f 4 & seqq.) capiantur motus medii Lunæ, Apogæi ejus, & Nodi, ad mediam Solis anomaliam respondentes. Addantur hi Lunæ & Apogæi motus, Longitudinibus prioribus, & subducatur ille Nodi a Longitudine priori, & habebimus Lunæ, Apogæi ejus, & Nodi Longitudines ad tempus datum, semel æquatas.

4. Distantia Solis a Nodo Lunæ semel æquato, est argumentum tertiæ æquationis Lunæ, quæ *semestris altera* appellatur (M m). Longitudo Apogæi Solis a Longitudine Apogæi Lunæ subducta, argumentum est quartæ æquationis in Conjunctionibus (ibid); in Oppositionibus autem hoc Argumentum sex Signis augendum est. Argumentum annuum in Conjunctionibus, & idem sex Signis auctum in Oppositionibus est argumentum *Æquationum Lunæ in Syzygiis* (O o 3). Hisce Æquationibus obtinebitur locus Lunæ verus in Orbitâ propriâ.

5. Longitudo Nodi a loco Solis supra invento subducta, Argumentum Latitudinis in Syzygiis appellatur, cujus ope Latitudo Lunæ, & Reductio loci ejus in orbitâ propriâ ad Eclipticam, in *Tabulâ Latitudinariâ Lunæ in Syzygiis* (O o 4) inveniuntur.

6. Si tempus datum ab illo veræ Syzygiæ aberraverit, satis tutò corrigetur ope Tabulæ *Motus horarii Lunæ a Sole* (* * E e 2).

EXEMPLUM I.

Quæritur Locus Lunæ ad tempus Novilunii supra inventum Mens. Jul. die 2. h. 2. min. 41. Anno 1684.

	☉ An. media.	☉ Apogæum.			
	s ° ′ ″ ‴	s ° ′ ″			
B. 1684	6 12 29 28 46	3 7 21 59			
Jul. 2	6 1 21 2 3	30	☽ 2b Æq.	☽ Apog.	☽ ☊
Hor. 2	4 55 41		s ° ′ ″	s ° ′ ″	s ° ′ ″
Min. 41	1 41 1	1684	9 19 19 19	0 25 25 13	3 17 14 22
		Anom. ☉ 13°	5 23 50 19	1 23 46	39 49
☉ An. med.	0 13 57 7 31	57′	12 42 2	6 27	3 4
Apog.	3 7 22 29	7″	1 33		
		31‴	7		
☉ Long. med.	3 21 19 36				
Proflaph.	— 27 29		3 25 53 20	0 26 55 26	3 16 31 29
		Æq. 32	— 0 7	9 19 32 57	0 5 20 38
☉ Long.	3 20 52 7	4ta	— 2 16	Arg. 4tæ Æq.	☉ a ☊
		Æq. in Syz.	— 4 58 28	2 23 56 41	° ′ ″
				Arg. Ann.	0 22 47
		☽	3 20 52 29		Lat. ☽.
		☉	3 20 52 7		
		Differentia	0 0 0 22		

Lunæ

Luna igitur conjunctionis punctum præterierat arcu 22 minutorum secundorum, & conjunctio vera præcessit tempus datum 44 minutis secundis horariis, circiter; in hoc nempè temporis spatio Luna motu suo medio a Sole arcum talem percurrit. Conjunctio igitur vera fiebat hor. 2. min. 42. sec. 26. temporis medii.

Æquatio temporis absoluta tum temporis fuit 4^{m}. 58^{s}. subducenda; addatur illa tempori medio hic invento, & habebitur 2^{h}. 45^{m}. 24^{s}. Novilunii veri tempus apparens.

EXEMPLUM II.

Quæritur locus Lunæ verus ad tempus Plenilunii supra inventum Aug. 18. 15^{h}. 19^{m}. 1681.

	☉ Anom med. s ° ′ ″ ‴	☉ Apog. s ° ′ ″
1681.	6 13 15 29 56	3 7 18 57
Aug. 18.	7 16 41 17 34	38
Hor. 15.	36 57 36	
Min. 19.	46 49	3 7 19 35
☉ An. med.	2 0 34 31 55	
Apog.	3 7 19 35	
☉ Long. med.	5 7 54 7	
Prostaph.	— 1 40 16	
☉ Long.	5 6 13 51	

	☽ Long. med. s ° ′ ″	☽ Apog. s ° ′ ″	☽ ☊ s ° ′ ″
1681	8 10 54 55	8 23 20 30	5 15 16 0
Sig. 2.	2 22 18 8	6 29 48	3 5 16
Min. 34.	7 34 33	3 51	1 50
Sec. 31. tert. 55	7 7	4	2
	11 10 54 43	8 29 54 13	5 12 8 52
Æq. 3ta	+ 0 10		5 24 4 40
Æq. 4ta	— 0 19		Arg. Lat in
Æq. in Syz.	— 4 41 2		Syz. 8.
☽	11 6 13 32		0 31 2
☉	5 6 13 51		Lat. ☽
Distantia ☽ à ☉	6 0 0 19		

Luna igitur ad tempus datum distabat ab oppositione arcu 19″, quem motu suo medio a Sole, tempore 38 minutorum secundorum percurrit. Fiebat itaque Oppositio vera 15^{h}. 19^{m}. 38^{s} temporis medii, quàm proximè.

Tempus medium Syzygiarum ad Annum & Mensem ante Æram Christianam datum invenire.

1. Centuriæ decimæ octavæ nunc currentis, istum Annum selige, qui, si annis ante Christum datis, uno dempto, addatur, integrum efficiet centuriarum numerum.

2. Quæratur hic numerus in tabula pro *Centuriis annorum* (* * E e) & tempora & motus huic respondentes, a temporibus & motibus, anno isti Centuriæ decimæ octavæ in Epocharum tabulâ (* E e & seqq.) respondentibus subducantur; & obtinebitur tempus medium primæ conjunctionis mediæ in anno ante Christum dato; cum motibus eidem respondentibus. Quibus datis invenietur tempus Conjunctionis vel Oppositionis in dato mense, per præcepta supra tradita.

Si Annus in Epocharum tabulâ inventus Bissextilis fuerit, Annus etiam datus Bissextilis erat.

E X-

EXEMPLUM.

Quæritur tempus medium Conjunctionis Lunæ cum Sole in mense Maio, anno ante Christum 585.

Annis	584	
Addantur	1716	
Fiunt	2300	Integer Centuriarum numerus.

		☉ Anom. med.	☉ ab Apog. ☽	☉ à ☊		
	D h m s	s ° ′ ″	s ° ′ ″	s ° ′ ″		° ′ ″
1716.	12 16 6 46	6 24 41 0	2 12 33 1	2 25 57 37		
2300 subd.	11 5 57 54	11 19 46 54	1 5 58 33	7 25 26 59		
	1 10 8 52	7 4 54 6	1 6 34 28	7 0 30 38	1 Æq. Lunæ	+ 0 0 5
Maii Biss.	26 15 40 15	4 25 31 37	4 9 5 2	5 3 21 10	3a	− 0 0 6
					4ta	− 0 0 37
	28 1 49 7	0 0 25 43	5 15 39 30	0 3 51 48	Æq. in Syzygiis	− 1 8 35
	+ 2 14 35	6 14 46 4	+ 9	− 4		
			− 51	− 51	Summa	− 1 9 13
6 Maij	28 4 3 42	Arg. 4tæ Æq.			☉ Prosthaph.	− 0 0 51
			5 15 38 48	0 3 50 53		
			Arg. Annuum.	☉ a ☊		1 8 22
					Horæ 2	1 0 57
					Min. 14. sec. 35.	0 7 25

Simili modo invenietur locus Lunæ verus ex tabulis anomalisticis; dum verò motus cæteri pro centuriis annorum subducantur, Longitudo Nodi pro Annorum centuriis, Epochali Longitudini centuriæ decimæ octavæ addenda est. Ut in Exemplo sequenti.

EXEMPLUM.

Quæritur locus Lunæ verus ad tempus medium superiori exemplo inventum.

	☉ Anom. med.	☉ Apog.	☽ Long. med.	☽ Apog.	☽ ☊	
	s ° ′ ″ ‴	s ° ′ ″	s ° ′ ″	s ° ′ ″	s ° ′ ″	
1716.	6 12 11 41 41	3 7 54 20	7 8 59 37	8 7 35 37	6 28 17 2	
2300 sub.	11 8 41 42 40	1 8 45 33	5 15 8 35	11 23 42 30	6 27 25 50	addend.
	7 3 29 59 1	1 29 8 47	1 23 51 2	8 13 53 7	1 25 42 52	
Maii 28 B	4 26 51 16 20	25				
Hor. 4	9 51 22					
Min. 3. 42s.	9 5	☉ Anom 31′	6 54 26	3 30	1 40	
		15″ 48‴	3 31	2	1	
	0 0 31 15 48					
☉ Apog.	1 29 9 12		2 0 48 59	8 13 56 39	1 25 41 11	
		Æq. 3a	− 0 0 6	5 15 42 47		
	1 29 40 28	4ta	− 0 0 37	Arg. Annuum	☽ Ap.	8 13 56 39
Prosth.	− 1 2	Æq. in Syz.	− 1 8 15		☉ Ap.	1 29 9 12
☉	1 29 39 26	☽	1 29 40 1			6 14 47 27
		☉	1 29 39 26			Arg. 4tæ Æq.
		Diff.	0 0 0 35			

Luna igitur prætererat Conjunctionem arcu 35″.

Ad

Ad datum quodvis tempus Locum Lunæ invenire.

1. Inveniatur ad tempus datum Longitudo Solis vera.

2. E Tabulis *Epocharum Mediorum motuum Lunæ, Apogæi ejus & Nodi Annis Julianis ineuntibus* (H h 4 & ſeq) & e tabulis *Mediorum motuum ad dies menſium, &c.* (I i 3 & ſeqq), colligantur ad tempus medium datum, Longitudines, Lunæ, Apogæi ejus, & Nodi, mediæ. Et notandum eſt, quod medii motus Nodi pro menſibus, diebus, & diei partibus, quibus tempus datum anni ineuntis Epocham ſuperat, ſubducendi ſunt ab ejus Longitudine in Epocharum tabulâ inventâ.

3. In tabulis *Æquationum annuarum* (L l 3 & ſeq.) inveniantur æquationes Lunæ, Apogæi ejus, & Nodi, mediæ Solis Anomaliæ reſpondentes, & mediis eorum Longitudinibus addantur, vel ab iis ſubducantur, ſecundum tabularum indices.

4. Argumentum ſecundæ Æquationis Lunæ (M m), (quæ & *Prima ſemeſtris* vocatur) eſt diſtantia Solis ab Apogæo Lunæ, & Argumentum annuum appellatur.

5. Argumentum tertiæ Æquationis (ibid.) (quæ *Semeſtris altera* nuncupatur) eſt Solis a Nodo Lunæ diſtantia.

6. Pro Argumento *quartæ Æquationis* (ibid) Longitudo Apogæi Solis ad Argumentum Annuum addenda, & hæc ſumma a Lunæ Longitudine jam ter æquatâ ſubducenda. Cum vero hæc æquatio ſit ſecundum Neutonum ſexta, augeri vel minui debet ejus argumentum, æquatione Centri Lunæ. *

7. In tabulâ *Æquationum Apogæi & Excentricitatum Orbis Lunæ* (M m 2 & ſeqq) habentur ad Argumentum annuum reſpondentes, Æquatio ſecunda Apogæi Lunæ, Orbitæ ejus excentricitas, & Logarithmus pro Æquatione Centri Lunæ.

8. Longitudo Apogæi Lunæ iterum æquata, ſubducta a Lunæ Longitudine jam quartum æquatâ, dat ejus Anomaliam mediam; quæ quando ſex Signis minor eſt, Argumentum erit *Tabulæ pro expediendo calculo Centri Lunæ* (N n & ſeqq.) ſi vero ſex Signa ſuperaverit, Complemento ejus ad Signa duodecem utendum eſt. Ex hac tabulâ, ad hoc Argumentum, tum etiam ad Logarithmum pro æquatione Centri Lunæ reſpondens, capiatur æquatio; quâ augeatur vel minuatur (ſecundum indicem tabulæ) dimidius angulus mediæ Anomaliæ (vel ejus complementi ad Signa duodecem); hujus anguli ſic correcti tangens logarithmica, logarithmo pro invenienda æquatione Centri Lunæ addita, dabit tangentem logarithmicam dimidii Anguli Anomaliæ veræ. Et differentia inter mediam & veram Anomaliam eſt æquatio Centri; ſubducenda quando Lunæ Anomalia media ſex Signa non ſuperat, ſi ſuperet addenda.

---

* Ut corrigatur Argumentum quartæ Æquationis, ſubducatur Longitudo Apogæi ſemel æquata a Lunæ Longitudine, & capiatur reſiduum pro Anomaliâ Lunæ mediâ. In tabula *Æquationis Apogæi et Exentricitatis Lunæ* (M m 2 & ſeqq) quæratur *Logarithmus pro æquatione Centri Lunæ*, qui Tangenti logarithmicæ Anguli dimidii Anomaliæ Lunæ mediæ addatur. Summa erit tangens Anguli, cujus duplum ab angulo Anomaliæ mediæ ſubductum, dabit Argumenti hujus correctionem. Argumento ſubducenda ſi Anomalia Lunæ media ſex Signis minor fuerit, eidem vero addenda ſi totidem Signa ſuperaverit. In Exemplo ſequente

	s ° ′		° ′	
Pro Lunæ Anomalia media habebitur	4 18 48	ejus dim.	69 24	10.4249
Log. pro æquatione Centri Lunæ	s ° ′			9.9422
Angulus cujus duplum eſt	4 13 32		66 46	10.3671
Correctio detrahenda	— 5 16			

9. A

9. A Longitudine Lunæ jam quinquies æquatâ subducatur Solis Longitudo vera, & in tabulâ *Variationis sive Reflectionis Lunæ* (N n 4) inveniatur huic argumento respondens, Variatio Lunæ ad mediam Terræ a Sole distantiam; hujus Logarithmo logist. addatur Logarithmus in tabulâ *Logarithmorum pro correctione Variationis* (ibid) Anomaliæ mediæ Solis repsondens; eorum summa erit Logarithmus logist. Variationis veræ: quâ aucta vel diminuta (secundum tabulæ indicem) Longitudo Lunæ quintùm æquata, fiet Longitudo ejus vera in Orbitâ propriâ.

10. In *Tabulâ pro computo Latitudinis Lunæ* (O o) inveniantur, Æquatio Nodi secunda, Sinus maximæ inclinationis logarithmicus & Reductio maxima; omnes ad distantiam Solis a Nodo medio respondentes. Longitudo Nodi jam semel æquata, hâc demum Æquatione aucta vel diminuta, secundùm indicem tabulæ, subducta a verâ Lunæ Longitudine in Orbitâ propriâ Argumentum Latitudinis appellatur.

Sinui logarithmico maximæ inclinationis addatur sinus logarithmicus Argumenti Latitudinis; summa, dempto radio, est Latitudinis Lunæ sinus logarithmicus; quæ cum argumentum Latitudinis minus sex Signis fuerit, Borealis est; Australis autem, cum totidem Signa superaverit.

Logarithmo logistico maximæ Reductionis, addatur Sinûs dupli argumenti Latitudinis complementum arithmeticum, eorum summa est Logarithmus logisticus Reductionis veræ, quæ a Longitudine Lunæ in orbitâ propriâ, in primo & tertio Argumenti Latitudinis quadrante subducta, vel eidem in secundo & quarto addita, dabit Lunæ Longitudinem Eclipticam.

11. In tabulâ *Parallaxium Lunæ horizontalium in Syzygiis* (O o 2) inveniatur Parallaxis tam Anomaliæ Lunæ veræ, quàm Orbitæ suæ excentricitati respondens, hujus Logarithmus logisticus, Logarithmo e *Tabulâ pro Parallaxi extra Syzygias ad distantiam Lunæ a Syzygiâ propiore* (ibid.) addatur; eorum summa est Logarithmus logisticus Parallaxis Lunæ horizontalis veræ.

12. Parallaxis Lunæ horizontalis, est ad ejus Diametrum, in ratione 60 ad 33. Addendo igitur Logarithmum logist. minutorum 33 (2596) Logarithmo logistico Parallaxis Lunæ horizontalis supra inventæ, fit Logarithmus logisticus diametri Lunæ horizontalis.

Lunæ Diameter horizontalis aucta in ratione cosinûs Latitudinis Lunæ ad Radium mensuram dabit Diametri ejus veræ secundum Longitudinem. Si verò in ratione cosinûs Declinationis ad Radium augeatur, ejusdem mensuram dabit secundùm Ascensionem rectam.

Diameter Lunæ horizontalis ope tabulæ *Aug. Diam. Lunæ* (O o 5) pro distantiâ Lunæ a vertice aucta, (prout Luna magis vel minus ab Apogæo suo distaverit) fiet Diameter ejus apparens; quæ aucta in ratione cosinûs Latitudinis ad Radium mensuram dabit Diametri apparentis secundùm Longitudinem; vel si in ratione cosinûs Declinationis ad Radium augeatur, ejusdem mensuram secundùm Ascensionem rectam dabit.

EXEMPLUM.

Anno 1725 Dec. 5to, præcedens Lunæ Limbus, obſervante Halleio Meridianum Obſervatorii Grenovicenſis tranſiit $9^h. 8^m. 5^s$ temporis medii, cum Aſcenſione rectâ $42°. 26'. 15''$, & Limbi inferioris a vertice diſtantiâ $34°. 9'. 15$.

Quæritur locus Lunæ ad idem tempus ſecundùm Tabulas.

	☉ Anom. med. s ° ′ ″	☉ Apogæum. s ° ′ ″	☉ Long. vera s ° ′ ″
	5 17 20 40	3 8 4 22	8 24 59 2
	☽ Long. med. s ° ′ ″	☽ Apogæum. s ° ′ ″	☊ Lunæ. s ° ′ ″
1725	8 19 36 54	7 24 56 18	1 13 11 2
Dec. 5.	4 26 47 52	1 7 46 2	17 57 7
Hor. 9	4 56 28	2 30	1 12
Min. 8. ſec. 5.	4 26	2	1
	1 21 25 40	9 2 44 52	0 25 12 42
Æqq. annuæ	+ 2 38	— 4 28	+ 2 7
Æq. 2a + 1′ 0″; 3a — 0 41; 4a — 1 41	1 21 28 18	9 2 40 24	0 25 14 49
	— 1 22	— 2 41 0	+ 1 19 7
	1 21 26 56	8 29 59 24	0 26 33 56
Æq. Centri	— 5 3 56	4 21 27 32 ☽ Anom. med.	1 15 46 45 ☽
	1 16 23 0		0 19 12 49 Arg. Lat.
† Variatio	— 36 15	½ Anom med. ° ′ ″	
	1 15 46 45	70 43 46	
‡ Reductio	— 4 11	— 1 47	
☽ Long. Eclipt	♉ 15 42 34	70 41 59	tan 10.455683
* ☽ Lat. Bor.	1 39 57	Log. pro Æq. centri	9.942214
		68 11 48	tan 10.397897
		4s 16 23 36 ejus duplum	
		5 3 56 Æq. Centri ſubd.	

Æqq. Argumenta.
s ° ′

5 17 20 ☉ An. med.
Arg. Æqq. Annuarum.

8 24 59 2 ☉
9 2 40 24 ☽ Apog.
11 22 18 38
Arg. Annuum.

Excentr. 066429

8 24 59 ☉
0 25 15 ☊
7 29 44
Arg. 3æ Æq.

3 8 4 ☉ Apog.
11 22 18 Arg. Ann.
3 0 22
1 21 28 ☽
10 21 6
— 5 16 correctio
10 15 50
Arg. 4tæ Æq.

1 16 23 ☽
8 24 59 ☉
4 21 24 ☽ à ☉
Arg. Variationis.

† ☽ Variatio ſimplex — 34′ 18″	L L 2430	‡ Reductio max. — 6′ 44″	L L 9499
Correctio è tabulâ	9.9758	S. dupl. Arg. Lat.	C A 2065
☽ Variatio vera — 36 15	L L 2188	Red. vera — 4 11	L L 11564

* Inclin. ſin Log.	8 94616
Arg. Lat. ſ. Log.	9 51732
☽ Lat. bor. 1° 39′ 57″	8.46348

Inveniatur

Inveniatur nunc ex observatione locus Lunæ verus.

Parallaxis Lunæ horizontalis in Syzygiis ad Anomaliam Lunæ veram 4s. 16°. 23′ & ad excentricitatem 0664 est 60′. 3″ cujus Logarithmus logisticus est —	— 3		
Ad Distantiam ☽ à ☉ 4s. 21°. 24′ (vel 1s. 8°. 36′ ab Oppositione) logarithmus pro Parallaxi extra Syzygias est	24		° ′ ″
Horum summa est Log. log. Parallaxis horizontalis veræ	21	=	0 59 43
Cui addendo Logarithmum constantem — ——	2596		
habemus Log. log. Diametri Lunæ horizontalis ——	2617	=	0 32 50
Lunæ limbi inferioris distantia a vertice observata erat			34 9 15
addatur Refractio —— —— —— ——			+ 0 36
& habebitur distantia ejus à vertice a Refractione purgata			34 9 51
logarithmo log. Parallaxis horizontalis veræ, supra invento	21		
addatur compl. arith. sinûs distantiæ limbi Lunæ a vertice correctæ —— —— —— ——	2506		
summa erit log. log. Parallaxis altitudinis Limbi Lunæ * inferioris —— —— — —— —	2527	=	0 33 32
hæc a distantiâ limbi Lunæ a vertice correctâ, subducta, dabit veram ejus a vertice distantiam — ——			33 36 19
subducatur etiam semidiameter Lunæ horizontalis —			16 25
residuum erit vera centri Lunæ a vertice distantia ——			33 19 34
huic addatur Latitudinis Observatorii complementum			38 31 30
& habebitur centri Lunæ vera a Polo boreo distantia —			71 51 24
Logarithmo log. diametri Lunæ horizontalis ——	2617		
addatur cosinus log. Declinationis Lunæ —— ——	9778		
summa erit Log. log. veræ diametri Lunæ secundùm Ascensionem rectam —— —— —	2395	=	0 34 34
Ascensioni rectæ limbi Lunæ præcedentis observatæ —			42 26 15
addatur semidiameter Lunæ vera secundùm Ascensionem rectam			0 17 17
summa erit Ascensio recta centri Lunæ vera —— —			42 43 32

Ascensione Lunæ rectâ 42°. 43′. 32″, & distantiâ ejus a Polo Boreo 71°. 51′. 24″ datis, invenietur ejus Longitudo Ecliptica ♉ 15°. 42′. 12″, cum Latitudine Boreâ 1°. 38′. 37″.

---

* Cum Parallaxis altitudinis sit in ratione sinûs distantiæ a Vertice apparentis; si distantia apparens non detur, augenda erit distantia vera ex conjecturâ, & inde quærenda Parallaxis altitudinis. Nempe si distantia a vertice vera pro apparente sumatur, & inde parallaxis altitudinis inveniatur, distantia illa vera hac Parallaxi aucta pro apparente usurpari potest, & Parallaxis inde inventa, a verâ quàm minimùm aberrabit.

De-

De Lunæ computo corrigendo.

Sicubi Tabulæ a cælo longiùs aberrent, corriguntur ope Errorum Abaci, qui in *Obſervationum tabulis* (☾ b & ſeqq) habetur. Errores enim ejuſdem ferè magnitudinis poſt exactum annorum 18 cum diebus 11. $7^h. 43^m. 20^s$ Periodum recurrent.

Ut igitur invenietur dies in Errorum Abaco tempori culibet dato reſpondens addatur hæc Periodus (vel ejus multiplum, vel Periodus Lunationum 111, quæ in tabulâ *Periodûm Lunarium* † (* * E e 4) habentur) tempori dato, vel ab eodem ſubducatur, prout tempus illud Annos in Obſervationum tabulis præceſſerit vel ſecutum fuerit, ut ſumma vel reſiduum incidat in annum in illis tabulis inveniendum; & ad diem hoc modo inventum, habebitur in Errorum Abaco, error computi ad tempus datum. Et notandum eſt, quod harum Periodûm illæ quæ diverſum annorum biſſextilium numerum admittunt, tempora periodica unius diei ſpatio ſeriùs quam oportet quandoque repræſentabunt. Periodus ſcilicet menſium 223 Synodicorum, eſt Annorum 18 cum diebus 11. $7^h. 43^m. 20^s$, quando non plures 4 Annis biſſextilibus in ea numerantur; verùm ubi 5 biſſextiles in ſe continet, complebitur in Annis 18. $10^d. 7^h. 43^m. 20^s$.

E X E M P L U M.

Quæritur tempus tranſitûs limbi Lunæ ſequentis per Meridianum Grenovicenſem Die 28*vo. Decembris, Anno* 1745.

Subductis a dato tempore annis 18 cum diebus 10 (quinque enim anni biſſextiles in hac Periodo numerantur) habebitur Decembris dies 18vus Anni 1727, ad quem diem in Obſervationum tabulâ invenietur tempus tranſitûs limbi lunæ obſervati $13^h. 45^m. 21^s$. Anni 18 cum diebus 10 a plenâ Perodio $7^h. 43^m. 20^s$ deficiunt; et in hoc temporis ſpatio, Luna motu ſuo medio arcum $4^\circ. 14'. 22''$ percurrit, qui $16^m. 55^s$ in meridiano tranſeundo inſumit. Subducantur igitur $16^m. 55^s$ a tempore obſervationis, & habebitur $13^h. 28^m. 26^s$ tempus tranſitûs limbi Lunæ ſequentis per Meridianum Grenovicenſem die Decembris 28vo Anni 1745.

Ad hoc tempus Longitudo Lunæ ecliptica ſecundùm tabulas eſt ♌ $6^\circ. 43'. 8''$. Latitudo ejus borea $3^\circ. 49'. 24''$.

In errorum Abaco die Dec. 18. Anni 1727, invenietur error computi — $3'. 1''$, quo Longitudo Lunæ ſupra inventa aucta, fiet ejus Longitudo correcta ad tempus datum ♌ $6^\circ. 46'. 9''$.

	°	′	″	°	′	″
Hinc centri Lunæ Aſcenſio recta — —				130	12	38
quæ ſemidiametro ejus verâ ſecundùm Aſcenſ. rectam aucta					17	18
fiet limbi ejus ſequentis Aſcenſio recta — —				130	29	56
Solis Longitudini mediæ ad datum tempus — —	288	25	2			
addatur arcus dato tempori medio $13^h. 28^m. 26^s$ proportionalis — — — —	202	6	30			
horum ſumma eſt Meridiani Aſcenſio recta —				130	31	32
Meridianus igitur limbum Lunæ ſequentem prætergreſſus eſt arcu				0	1	36

qui

† Hæc tabula Periodos etiam Nodi complectitur, et utilis eſt ad Eclipſium revolutiones inveſtigandas.

qui tempore $6\frac{1}{4}$ a Meridiano percurritur, quæ a dato tempore fubducta, tempus tranfitûs limbi Lunæ fequentis darent, fi Afcenfio ejus recta cum quâ Meridianum tranfiit immutata manfiffit; Luna verò eam 4″ ferè minutis fecundis interea auxerat, quibus arcus fupra inventus auctus fiet 1′. 40″, & limbi tranfitus ex tempore arcûs hujus defcriptionis æftimandus eft. Meridianus arcum 1′. 40″, tempore 7ˢ ferè, percurrit. Subducantur igitur 7ˢ a tempore dato & habebitur tempus medium tranfitûs Limbi Lunæ fequentis 13ʰ. 28ᵐ. 19ˢ. quem Rev. Dnus Bradleius ad 13ʰ. 28ᵐ. 21ˢ. obfervabat.

De Longitudinum terreftrium inveftigatione ex obfervationibus Lunæ.

Obfervationes huic operi maximè idoneæ, funt, Appulfus Lunæ ad Stellas fixas; vel, diftantia ejus a fixâ quæ non longe diftat à parallelo Latitudinis in quo Luna tum verfatur; vel denique, Lunæ a Sole diftantia in primo vel ultimo menfis quadrante. Ex qualibet harum Obfervationum, datâ loci ubi illa facta fuerit Latitudine, Meridiani ignoti a Grenovicenfi diftantia inveftigari poteft. Invento enim tempore quod Grenovici numerabatur cum Obfervatio facta fuit, ex temporum differentiâ dabitur Meridianorum diftantia.

EXEMPLUM.

Anno 1737. Jan. 1. 6ʰ. 4ᵐ. 30ˢ temporis apparentis (quod in medium converfum fit 6ʰ. 13ᵐ. 40ˢ) fub elevatione Poli borei 65°. 50′. 50″, Luna ftellam γ Tauri occultabat. Quæritur Meridiani ubi obfervatio fiebat a Grenovicenfi diftantia.

Dies hic in obfervationum Tabulis non invenitur; fubductâ igitur à dato tempore Lunationum 111 Periodo, habebitur Jan. 11, Anni 1728; ad quem diem errorum Abacus 1′. 18″ Longitudini tabularum addenda indicat.

Longitudo Stellæ tum temporis, fuit fecundùm Catalogum Britannicum ♊ 2°. 7′. 0″, Latitudo ejus Auftralis 5°. 46′. 22″.

Pro tempore Grenovicenfi capiatur conjectura ex Ephemeridibus quibuflibet Londinenfibus; hæ conjunctionem Lunæ cum ftellâ ad horam circiter 5tam pomeridianam retulerunt. Longitudo Lunæ ad hoc tempus è tabulis eft ♊ 2°. 1′. 20″, quæ additione 1′. 18″ correcta, fit ♊ 2°. 2′. 38″. Latitudo ejus auftralis 4°. 50′. 18″.

			°	′	″
Parallaxis Lunæ horizontalis vera — — —			0	55	41
Longitudini Solis mediæ ad idem tempus	292 11 24				
addatur tempus obfervationis in Merid. ignoto 6ʰ. 13ᵐ. 40ˢ	93 25 0				
fit Meridiani ignoti Afcenfio recta — — —			25	36	24
Gradus Ecliptici nonageffimus fub. elev. Poli 65° 50′. 50″		♉	24	56	24
Angulus Lunæ parallacticus — — —			5	33	2

	° ′ ″	° ′ ″
Vera Lunæ à vertice diſtantia — — —	55 12 54	
Augeatur ex conjecturâ Parallaxi altitudinis	+ 46	
fiet Lunæ a vertice diſtantia apparens — —	55 59 00	
Lunæ Semidiameter apparens — — —		0 15 28
Parallaxis altitudinis vera — — — —		0 46 10
* Parallaxis Longitudinis, veræ Longitudini addenda		0 4 28
Parrallaxis Latitudinis, veræ Latitudini addenda —		0 45 57

Locus igitur Centri Lunæ apparens fuit ♊ 2°. 7′. 6″, cum Latitudine auſtrali 5°. 36′. 15″.

Cum vero Lunæ Longitudo viſa, Longitudinem Stellæ 6″ minutis ſecundis ſuperet, Stellæ occultatio tempus ex Ephemeride aſſumptum præceſſit.

Ad tempus corrigendum, convertatur Lunæ Semidiameter apparens 15′. 28″, ac etiam diſtantia apparens Centri ejus a Stellâ ſecundùm Latitudinem 10′. 7″, in minuta ſecunda, & differentia quadratorum harum quantitatum erit 492735″, cujus Radix quadrata 702″ = 11′. 42″, non multum aberrabit à Centri Lunæ diſtantiâ apparente a Stellâ, ſecundum Longitudinem tempore occultationis. augeatur hæc diſtantia 6″ illis minutis ſecundis, quibus Centri Lunæ longitudo viſa Stellæ Longitudinem, ſecundum computum præcedentem, ſuperabat; & è tabulis mediorum motuum Lunæ quæratur tempus quo Luna arcum 11′. 48″. percurrit, quod 21m. 30s invenietur: quibus a tempore priori 5h. ſubductis, inſtituatur computus ad tempus ſic correctum 4h. 38m. 30s.

Ad hoc tempus Lunæ longitudo correcta eſt ♊ 1°. 51′. 13″, et latitudo ejus auſtralis 4°. 49′. 59″.

		° ′ ″
Meridiani ignoti Aſcenſio recta — — — —		25 35 31
Gradus Ecliptici nonageſſimus — — — —	♉	24 55 57
Angulus Lunæ Parallacticus — — — —		5 24 32
Parallaxis longitudinis, addenda — — — —		0 4 21
Parallaxis latitudinis, addenda — — — — —		0 45 57
Stellæ à centro Lunæ diſtantia apparens ſecundùm Longitudinem		0 11 26
eorundum diſtantia apparens, ſecundùm Latitudinem — —		0 10 26

Convertatur nunc Lunæ ſemidiameter apparens 15′. 28″, ac etiam differentia Latitudinum apparens 10′. 26, in minuta ſecunda. Differentia quadratorum harum quantitatum erit quadratum diſtantiæ apparentis Stellæ, in minutis ſecundis,

* De Parallaxibus hæc ſunt notanda.

Dum Luna in partibus cœli ad orientem gradûs Ecliptici nonageſſimi verſatur, Longitudo ejus apparens veram ſuperat; dum vero partes occidentales occupat, Longitudo apparens a verâ deficit.

Simile obtinet in Aſenſionibus rectis, prout Luna ad orientem vel ad occidentem Meridiani circuli per Loci verticem tranſeuntis, ſita fuerit.

Quando angulus Lunæ parallacticus à circulo verticali cum circulo Latitudinis factus, major eſt recto verſus Polum Ecliptici a quo Latitudo Lunæ nomen accipit, Latitudo viſa veram ſuperat, & è contra.

Cum angulus Lunæ parallacticus a circulo verticali cum circulo Declinationis factus, major eſt recto verſus polum Æquatoris cui Luna propior eſt, Declinatio viſa veram ſuperat, & vice verſa.

eundis, a circulo Latitudinis per centrum Lunæ transeuntis 11′. 25″; quæ in ratione cosinûs latitudinis Stellæ ad Radium aucta fiet 11′. 28½″ Stellæ distantia apparens a Lunæ centro secundùm Longitudinem, tempore occultationis. Hæc superat distantiam supra inventam 2¼″, & tempus adhuc minuendum est.

Longitudo Lunæ apparens tempore ex Ephemeride assumpto (scil. 5^h) fuit ♊ 2°. 7′. 6″, illa verò tempore correcto (4^h. 38^m. 30^s) fuit ♊ 1°. 55′. 34″, harum differentia 11′. 32″, est motus Lunæ visibilis spatio temporis 21^m. 30^s. et

Ut 11′. 32″ : 2¼″ :: 21^m. 30^s : 5^s —.

demptis igitur 5^s de 4^h. 38^m. 30^s, habebitur 4^h. 38^m. 25^s tempus medium Grenovicense quando occultatio sub Meridiano ignoto observabatur. Subducatur hoc tempus a dato observationis tempore medio 6^h. 13^m. 40^s, residuum 1^h. 35^m. 15^s, dabit Meridianorum distantiam 23°. 48′. 45″.

Quoniam verò stellarum occultationes minùs frequenter navigantibus sint observabiles, illorum usui magis commoda videtur distantia Lunæ a Stellâ fixâ, cujus Latitudo non nimiùm diversa fuerit ab illâ, quam tempore observationis habuerit Luna.

Meridianorum distantia quæsita intra tres vel quatuor gradus, ex diariis nauticis plerumque innotescit, et conjectura inde capi potest pro tempore quod Grenovici numerabatur cum observatio facta fuit: Ad quod tempus inveniantur è tabulis Longitudo & Latitudo Lunæ; & Longitudine ex errorum Abaco correctâ, inveniantur etiam Ascensio ejus recta & distantia a Polo; & inde angulus azimuthalis, cum verâ ejus a vertice distantiâ, quæ Parallaxi & Refractione corrigatur in visam. Ad idem tempus inveniatur angulus Stellæ azimuthalis, & distantia ejus a vertice, quæ etiam refractione minuatur.

Hisce inventis dabuntur in triangulo Sphærico duo latera, Lunæ scilicet & Stellæ a vertice distantiæ visibiles, cum angulo azimuthali inter Lunæ centrum & Stellam, ab illis comprehenso, ad latus tertium inveniendum; quod Lunæ semidiametro diminutum vel auctum, prout limbus ejus propior vel remotior observabatur, arcui observato æquale erit, si tempus Grenovicense rectè sumebatur; sin minùs, ad tempus ex conjecturâ correctum computus denuò instituendus est, & ex collatis erroribus satis tutò corrigetur tempus, & inde habebitur Meridianorum distantia.

EXEMPLUM.

Anno 1725. Dec. 10. 11^h. 14^m temporis apparentis, medii verò 11^h. 13^m, ad occidentem meridiani Grenovicensis, sub Poli borei elevatione gr. 40, stella γ Leonis a limbo Lunæ propiore 20°. 50′ distare observabatur. Quæritur Meridiani ignoti à Grenovicensi distantia.

Sumatur ex conjecturâ temporum differentia 2^h. 8^m, quæ tempori observationis addita, dabit 13^h. 21^m pro tempore medio Grenovici numerato cum observatio facta fuit.

1725.

	° ′ ″	° ′ ″
1725. Dec. 10. 13^h. 21^m Longitudo Lunæ e tabulis	♌ 4 4 2	
Correctio ex errorum Abaco	+ 48	
Longitudo Lunæ vera		♌ 4 4 50
Latitudo ejus borea		5 59 47
Parallaxis Lunæ horizontalis vera		1 0 18
Lunæ Aſcenſio recta		127 42 28
ejus a Polo boreo diſtantia		65 52 43
Meridiani ignoti Aſcenſio recta		78 46 8
Angulus Azimuthalis Lunæ cum Meridiano circulo		84 0 10
Diſtantia Lunæ a vertice	43 47 7	
Parallaxis altitudinis vera	+ 42 16	
Refractio	− 0 53	
Lunæ à vertice diſtantia apparens		44 28 30
Lunæ ſemidiameter apparens		0 16 47
Longitudo ſtellæ γ Leonis		♌ 25 45 00
Latitudo ejus borea		8 47 27
ejuſdem Aſcenſio recta		151 11 32
Stellæ a Polo boreo diſtantia		68 47 21
Angulus azimuthalis cum meridiano circulo		96 10 40
vera Stellæ a vertice diſtantia	63 22 13	
Refractio	− 1 46	
Diſtantia Stellæ a vertice viſibilis		63 20 27
Angulus Azimuthalis inter Stellam & Lunæ Centrum		12 10 30
Centri Lunæ a Stellâ diſtantia viſibilis		21 13 13
ſubducatur Lunæ ſemidiameter apparens		0 16 47
habebitur Lunæ limbi propioris a Stella diſtantia viſibilis		20 56 26

hæc vero arcum obſervatum ſuperat 6′. 26″, & tempus aſſumptum correctione indiget.

Tempori igitur addantur 15^m (Luna enim Stellam verſùs progreditur) & ad tempus medium Grenovicenſe 13^h. 36^m invenietur Longitudo Lunæ correcta ♌ 4°. 14′. 10″. cum Latitudine boreâ 4°. 59′. 40″, & ex inventis iterum Lunæ & Stellæ diſtantiis a vertice viſibilibus cum angulo azimuthali comprehenſo, invenietur Limbi Lunæ a Stellâ diſtantia 20°. 47′. 17″ quæ 2′. 43″ ab obſervatâ deficit. Luna igitur temporis 15^m ſpatio, motu ſuo verſus Stellam arcum 9′. 9″ percurrit; et,

$$\text{Ut } 9'.\ 9'' : 6'.\ 26'' :: 15^m : 10^m.\ 33^s.$$

addantur igitur 10^m. 33^s tempori prius aſſumpto 13^h. 21^m & fiet 13^h. 31^m. 33^s. tempus Grenovicenſe quæſitum; eritque temporum differentia 2^h. 18^m. 33^s cui proportionalis eſt arcus 34°. 38′. 15″ Meridianorum diſtantia quæſita.

In hoc Exemplo diſtantia Lunæ a Stellâ viſibilis, ſine ambarum a vertice diſtantiis ſatis accuratè definiri non potuit, propter nimiam in altitudinibus tam diverſis refractionum differentiam. Ubi verò earum altitudines non valdè inæquales ſunt, * correctio

* Vid. Acta Philoſoph. No. 368. p. 169.

correctio propter Refractiones satis accuratè fiet, si arcus observatus, totidem minutis secundis quot in eo numerantur gradus, augeatur; & ex Parallaxium investigatione computus nonnihil compendiosior redditur.

EXEMPLUM.

Anno 1725. Dec. 10. 12^h. 50^m temporis medii sub Meridiano ad occidentem Grenovicensis, & Poli borei elevatione gr. 48, Stella β Tauri à limbo Lunæ remotiore 47°. 57′. 12″ distare observabatur. Quæritur Meridiani ignoti a Grenovicensi distantia.

Augeatur arcus observatus propter refractiones 48″, & fiet 47°. 58′.

Sumantur pro temporum differentia 3^h. 44^m. & fiet tempus Grenovicense 16^h. 34^m.

		°	′	″
Ad hoc tempus Longitudo Lunæ secundùm tabb. est	♌	6	4	0
Correctio ex errorum Abaco	+		0	48
Longitudo Lunæ vera — — — — — —	♌	6	4	48
Latitudo ejus borea — — — — — — —		4	58	6
Parallaxis Lunæ horizontalis vera — — — — —		1	0	12
Meridiani ignoti Ascensio recta — — — —		103	9	3
Gradus Ecliptici nonagessimus — — — —	♋	9	40	0
Lunæ Parallaxis Longitudinis, addenda — —		0	24	38
Parallaxis Latitudinis, demenda — — — — —		0	21	23
Longitudo Lunæ apparens — — — —	♌	6	29	26
Latitudo ejus borea apparens — — — — —		4	36	43
Stellæ γ Tauri Longitudo — — — — —	♊	18	43	50
ejusdem Latitudo borea — — — — — — —		5	21	34

Dantur igitur in triangulo sphærico duo latera, distantia scilicet Lunæ apparens a Polo Ecliptici boreo 85°. 23′. 17″, & distantia Stellæ ab eodem 84°. 38′. 26″. unà cum angulo ab illis comprehenso, differentia scilicet Longitudinum 47°. 45′. 36″, ad latus tertium inveniendum — — — — — 47 34 25
quod auctum semidiametro Lunæ apparente — — — — — 0 16 48
fiet limbi Lunæ remotioris à Stellâ distantia apparens — — — 47 51 13
verum arcus ex observatione fuit — — — — — — — — 47 58 0
Differentia — — — — — — — — — — 0 6 47

Ex conjecturâ corrigatur tempus. addantur itaque 15^m tempori assumpto & fiet 16^h. 49^m. Longitudo Lunæ correcta ad hoc tempus invenietur ♌ 6°. 14′. 7″. Latitudo ejus borea 4°. 57′. 58″. & Parallaxibus iterum inventis, habebitur ex resolutione trianguli sphærici distantia centri Lunæ apparens à Stellâ 47°. 43′. 51″, quæ semidiametro Lunæ aucta fiet 48°. 0′. 39″. arcum ex observatione inventum 2′. 39″ superans. Et cum horis 16. 34^m distantia Lunæ à Stellâ ab observata deficiebat minutis 6′. 47″, Luna à Stellâ digrediebatur 9′. 26″, spatio temporis 15 minutorum; et

Ut 9′. 26″ : 6′. 47″ : : 15^m : 10^m. 42^s.

 addantur

addantur igitur $10^m. 42^s$, tempori ad priorem computum assumpto, & habebitur $16^h. 44^m. 42^s$, tempus medium Grenovici numeratum cum observatio in Meridiano ignoto facta fuit. Et temporum differentiæ $3^h. 54^m. 42^s$, arcus $58^o. 40'. 30''$ proportionalis est.

430	131 3 30	27 28	0,765516	7586	960	144 0 18	0 16 57	1,020155	6569
440	131 30 2	26 32	0,772918	7402	980	144 16 46	0 16 28	1,026583	6428
450	131 55 41	25 39	0,780148	7230	1000	144 32 46	0 16 0	1,032876	6293
460	132 20 30	24 49	0,787216	7068	1500	149 26 8	4 53 22	1,158188	125312
470	132 44 32	24 2	0,794126	6910	2000	152 26 15	3 0 7	1,246058	87870
480	133 7 50	23 18	0,800882	6756	2500	154 32 20	2 6 5	1,313703	67645
490	133 30 25	22 35	0,807494	6612	3000	156 7 27	1 35 7	1,368678	54975
500	133 52 20	21 55	0,813969	6475	3500	157 22 49	1 15 22	1,414973	46295
520	134 34 18	41 58	0,826522	12553	4000	158 24 34	1 1 45	1,454924	39951
540	135 13 56	39 38	0,838583	12061	4500	159 16 36	0 52 2	1,490125	35201
560	135 51 28	37 32	0,850187	11604	5000	160 1 12	0 44 36	1,521521	31396
580	136 27 6	35 38	0,861369	11182	5500	160 40 5	0 38 53	1,549874	28353
600	137 0 57	33 51	0,872155	10786	6000	161 14 24	0 34 19	1,575718	25844
620	137 33 13	32 16	0,882575	10420	6500	161 45 0	0 30 36	1,599460	23742
640	138 3 58	30 45	0,892649	10074	7000	162 12 34	0 27 34	1,621417	21957
660	138 33 21	29 23	0,902401	9752	7500	162 37 34	0 25 0	1,641838	20421
680	139 1 29	28 8	0,911850	9449	8000	163 0 23	0 22 49	1,660922	19084
700	139 28 25	26 56	c,921012	9162	8500	163 21 20	0 20 57	1,678834	17912
720	139 54 16	25 51	0,929907	8895	9000	163 40 42	0 19 22	1,695708	16874
740	140 19 5	24 49	0,938549	8642	9500	163 58 38	0 17 56	1,711662	15954
760	140 42 56	23 51	0,946951	8402	10000	164 15 20	0 16 42	1,726784	15122
780	141 5 55	22 59	0,955124	8173	50000	170 52 0	6 36 40	2,197960	471176
800	141 28 3	22 8	0,963082	7958	100000	172 45 44	1 53 44	2,399655	201695

Tabulæ Generalis Constructio & Usus.

UT Planetæ in Orbibus Ellipticis, ita Cometæ (ut dictum est) in Parabolicis Solem in Foco communi situm ambiunt, ea lege ut Areæ æquales æqualibus temporibus describantur. Quoniam vero Parabolæ omnes sunt Curvæ similes, si eductis è Foco rectis, determinata aliqua pars Areæ Parabolæ cujusvis dividatur utcunque, in omnibus Parabolis fiet similis divisio sub iisdem Angulis, ac distantiæ à Foco erunt respectivè proportionales: Proinde una nostra Tabula pro Cometis omnibus sufficiet. Calculi autem hujus Tabulæ hæc est ratio. In Schemate sit S Sol, P O C orbita Cometæ, P Perihelion, O Locus ubi Cometa quadrante distat à Perihelio, C Locus quivis alius. Junge CP, CS, ac fiant ST, SR æquales ipsi CS, & ductis rectis CR, CT, (quarum altera tanget Curvam in C, altera vero eidem perpendicularis erit) in Axem PSR demitte normalem CQ. Jam datâ areâ quacunque $COPS = a$, oporteat angulum CSP & distantiam CS inquirere.



Quoniam ob naturam Parabolæ recta R Q ubiq; æqualis est dimidio Lateris recti, ponatur Latus rectum $= 2$, adeoq; $RQ = 1$; ac sit $CQ = z$, proinde $PQ = \frac{1}{2}zz$, ac Segmentum Parabolicum $COP = \frac{1}{12}zzz$; Triangulum autem CSP erit $= \frac{1}{2}z$: Unde Area mixtilinea COPS erit $= \frac{1}{12}z^3 + \frac{1}{2}z = a$, ac $z^3 + 3z = 12a$. Quare resoluta hac æquatione Cubica, z sive ordinatim applicata CQ innotescet. Proponatur jam Area OPS in partes centesimas dividenda. Hæc Area duodecima pars est quadrati è Latere recto, adeoq; $12a$ æquantur quadrato illo $= 4$. Si itaque successivè extrahantur radices æquationum $z^3 + 3z = 0{,}04 : 0{,}08 : 0{,}12 : 0{,}16$, &c. habebuntur totidem z sive ordinatim applicatæ CQ respectivè, ac divisa erit Area SOP in partes centum æquales. Eodemq; prorsus modo continuandus est calculus ultra Locum O. Cum autem RQ sit $= 1$, radix hujus Æquationis fit Tangens Tabularis anguli CRQ sive dimidii anguli CSP, adeoq; angulus CSP datur. Ejusdemq; anguli CRQ Secans RC media proportionalis est inter $RQ = 2PS$ & RT quæ dupla est ipsius SC, ut ex Conicis notissimum est. Est igitur SP ad SC in duplicatâ ratione Radii ad Secantem anguli dimidii à Perihelio Cometæ; vel si mavis, in ratione quam habet Sinus Versus anguli CSR, sive anguli ab Aphelio Cometæ, ad Diametrum

metrum Circuli. His jactis fundamentis præcedentem Tabulam elaboravi, repræsentandis omnium Cometarum motibus inservientem: Nullus enim ex hactenus observatis motus Parabolici Leges quoad sensum recusat.

Restat jam præcepta Calculi tradere, modumq; supputandi locum Cometæ visum ex his Numeris exhibere. Cometæ autem in Parabolâ moventis Velocitas ubiq; est ad velocitatem Planetæ gyrantis in Circulo circa Solem, ad eandem a Sole distantiam, ut $\sqrt{2}$ ad 1; ut constat, ex *Principiis Philos. Nat. Math. Lib.* I. *Prop.* 16. *Coroll.* 7. Si itaque Cometa in Perihelio ad distantiam æqualem distantiæ Terræ à Sole supponatur, foret Area diurna à Cometa descripta ad Aream quam describit Terra ut $\sqrt{2}$ ad 1, ac proinde tempus Anni siderei, sive $365^{D.}\ 6^{H.}\ 9'$, ad Tempus quo Cometa talis describeret Quadrantem Orbitæ suæ à Perihelio, sive Aream spatio POS analogam, ut Area Circuli sive 3,14159, *&c.* ad Aream parabolicam $= \frac{4}{3} \times \sqrt{\frac{1}{2}} = \frac{2}{3} \sqrt{2}$. Cometa igitur describeret quadrantem illum Diebus $109^{D.}\ 14^{H.}\ 46'$, atq; adeo Areâ illâ Parabolicâ ut POS in centum particulas distributâ, singulis Diebus competunt particulæ 0,912280, cujus Logarithmus nempe 9,960128 in perpetuum usum servandus. Tempora autem quibus Cometæ in distantiis majoribus vel minoribus Quadrantes similes describerent, sunt ut Revolutiones in Circulis, hoc est in sesquiplicata ratione Distantiarum; adeoq; Areæ diurnæ in partibus centesimis Quadrantum æstimatæ (quas quidem Centesimas medii Motus mensuras, instar graduum Anomaliæ, ponimus) sunt in singulis in subsesquialtera ratione Distantiarum à Sole in Perihelio.

His necessario præmissis proponatur alicujus è Cometis nostris Locum visum ad datum Tempus supputare. Ac primum habeatur in promptu Locus Solis ab Æquinoctio, cum Logarithmo Distantiæ ejusdem a Terra. 2°. Capiatur intervallum Temporis inter Tempus datum & Tempus Perihelii è columnâ octavâ Elementorum sumptum, in Diebus & Diei partibus decimalibus. Hujus numeri Logarithmo addatur Logarithmus constans 9,960128 ac complementum Arithmeticum sesquialterius Logarithmi Distantiæ Periheliæ à Sole Summa erit Logarithmus medii Motus Cometæ in prima Columna *Tabulæ Generalis* quærendi. Idem autem compendiosius habetur ope Logarithmi medii Motus Diurni in Columnâ septimâ, Logarithmo Temporis simpliciter addendi. 3°. Cum Motu medio capiatur in Tabulâ correspondens angulus à Perihelio, & Logarithmus pro Distantia à Sole: Ac in Cometis Directis adde, in Retrogradis subduc, si fuerit Tempus post Perihelion; vel in Directis subduc & in Retrogradis adde, si fuerit ante Perihelion, angulum sic inventum a loco vel ad locum Perihelii in columnâ quartâ; & habebitur Locus Come-

tæ in Orbe proprio. Ac ad Logarithmum pro Diſtantia ibidem inventum addatur Logarithmus Diſtantiæ Periheliæ (Colum. VI.) ſumma erit Logarithmus Diſtantiæ veræ Cometæ à Sole. 4°. Cum loco Cometæ in Orbita, dato loco Nodi (Colum. II.) capiatur Diſtantia Cometæ à Nodo; ac datâ Inclinatione Plani (Colum. III.) dabuntur, notiſſimis *Trigonometriæ* præceptis, locus Cometæ ad Eclipticam reductus, cum Inclinatione ſive Latitudine Heliocentricâ, ac Diſtantiæ curtatæ Logarithmus. 5°. Ex his datis, iiſdem omnino Regulis quibus loca Planetarum, ex dato loco & Diſtantiâ Solis obtinebitur Cometæ locus viſus ſeu Geocentricus, cum Latitudine viſâ. Hoc autem Exemplo uno vel altero forſan operæ pretium erit illuſtrare.

EXEMPL. I. Quæritur Locus Cometæ Anni 166 4/5 *Martii* 1°. 7h. 00′. P.M. Hoc eſt 96d. 19h. 8′. poſt Perihelion ejus *Novemb.* 24°. 11h. 52′. celebratum.

Log. diſt. Perihel.	0.011044	*Perihel.* ♌	10. 41. 25	*Log pro diſt.*	0.255369
Log. Seſquialt.	0.016566	*Ang. Correſp.*	83. 38. 05—	*Log. Perihel.*	0.011044
Comp. Arith.	9.983434	*Com. in Orb.* ♉	17. 3. 20	*Co-ſin. Incl.*	9.990754
	9.960128	☊ ♊	21. 14. 00.	*Log. diſt. Curt.*	0.257167
Log. Temp.	1.985862	*Com. à Nodo*	34. 10. 40.	*Log. diſt.* ☉	9.997939
Log. Med. Mot.	1.929424	*Red. ad Eclip.*	32. 19. 05.	☉ ♓	21. 44. 33
Medius Motus	85,001	*Com. Helioc.* ♉	18. 54. 55.	*Com. Viſus* ♈	29. 18. 20
		Inclin. Bor.	11. 46. 50.	*Lat. Viſa*	8. 36. 15. *Bor.*

EXEMPL. II. Quæritur Locus Cometæ Anni 1683 *Julii* 23°. 13h. 35′. P. M. *Londini.* Vel 13h. 40′. Temp. æquat. Hoc eſt 21d. 10h. 50′ poſt Perihelion.

Log. diſt. Perihel.	9.748343	*Perihel.* ♊	25. 29. 30	*Log. pro diſt.*	0.111336
Log. Seſquialt.	9.622514	*Ang. Correſp.*	56. 47. 20	*Log. Perihel.*	9.748343
Comp. Arith.	0.377486	*Com. in Orb.* ♈	28. 42. 10	*Co-ſin Inclin.*	9.913187
	9.960128	☋ ♓	23. 23. 00	*Log. diſt. Curt.*	9.772866
Log. Temp.	1.310723	*Com. à* ☋	35. 19. 10	*Log. diſt.* ☉	0.006062
Log. Med. Mot.	1.648337	*Red. ad Eclip.*	4. 48. 30	☉ *Locus* ♌	10. 39. 14
Medius Motus	44,498	*Com. Helioc.* ♓	28. 11. 30	*Com. Viſus* ♋	5. 11. 28
		Inclin. Bor.	35. 2. 00	*Lat. Bor.*	28. 52. 13

Horâ autem primi Exempli, ſeorſim obſervatum eſt ab *Auzoutio* & *P. Gottignio* Cometam applicari ad Stellam ſecundam *Arietis*; ita ut novem vel decem minutis illâ borealior repertus ſit, quoad longitudinem vero quaſi conjunctus. In ſecundo autem Exemplo ipſe, in viciniâ *Londini*, Inſtrumentis quibus olim Stellas Auſtrales obſervaveram, Cometæ locum deprehendi ♋. 5°. 11′ 1/2, cum Latitudine Boreali 28°. 51′; conſentiente ad amuſſim obſervatione *Grenovicenſi* eodem pene momento factâ.

Cometa autem Anni 1680, qui pene Solem attigit, (non enim triente ſemidiametri corporis Solaris à ſuperficie ejus diſtabat in Perihelio) cum Latus

 rectum

rectum exiguum admodum fit, Tabulâ Generali haud coerceri potuit, ob immanem Motus medii velocitatem: Præstat itaque in hoc Cometa, postquam inventus fuerit Motus ejus medius, ex eodem, ope præcedentis æquationis $z^3 + 3z = \frac{1}{??}$ *Mot. med.* Tangentem dimidii anguli à Perihelio elicere, una cum Logarithmo pro distantia à Sole. Quibus datis iisdem omnino regulis ac in cæteris procedendum est.

Ad hunc itaque modum Astronomico Lectori examinare licet numeros à me positos, quos summâ curâ ex observationibus quæ suppetebant exantlavi; neque enim, antequam probe ad incudem redacti fuerant, ac multo studio quantum fieri possit politi, in publicum prodiere. Monendus autem est Lector, quinque priores ordine Cometas, quorum tertius & quartus est à *Petro Apiano* observatus, quintus vero à *Paulo Fabricio*, uti & decimus à *Michaele Mæstlino* Anno 1596 conspectus, non eundem certitudinis gradum cum reliquis præ se ferre: neque enim debitis organis nec curâ ad hoc requisitâ observationes ipsæ peractæ sunt; adeoque inter se dissidentes nullo modo cum computo regulari conciliari possunt. Cometam Anni 1684 unus vidit Cl. *Blanchinus* Observator *Romanus*: ultimum vero Anni sc. 1698 *Parisienses* soli conspexerunt, ejusque cursum insolito modo designarunt. Obscurus hic admodum, etiamsi velox ac Terris satis vicinus, nostros sane Oculos alioquin non incuriosos effugit. Insignes autem duos hac nostra ætate Cometas, alterum Anno 1689 Mense *Novembri* ortum, alterum Mense *Februario* Anni 1702, Catalogo subjungere non licuit, propter defectum Observationum. Etenim versus Mundi plagas Australes cursum dirigentes, ac in *Europâ* vix conspicui, contemplatores non habuere negotio pares.

Collatis autem inter se horum Cometarum motuum Elementis, videre est nullo ordine dispositos esse Orbitas; neque ipsos, Planetarum more, Zodiaco comprehendi posse, quaquaversum tam Retrograde quam Directe indifferenter latos: unde manifestum est eos Motu Vorticali nullo modo circumagi. Quinetiam distantiæ Periheliæ nunc majores nunc minores reperiuntur; unde pronum est suspicari etiam multo plures esse Cometas, qui in partibus à Sole remotioribus, obscuri caudâque destituti, adeoque nobis inconspicui, prætérlabi possunt.

Hactenus Cometarum Orbes consideravimus ut perfectè Parabolicos; quo supposito consequeretur Cometas, Vi Centripeta versus Solem impulsos, à spatiis infinite distantibus descendere, casuque suo velocitatem tantam acquirere, ut iterum in spatia Mundi remotissima sese abdere possint, perpetuo nisu sursum tendentes, nec ad Solem unquam reversuri. Cum autem satis frequentes sint Cometarum adventus; ac eorum nullus reperiatur motu ferri Hyperbolico,

bolico, seu velociore quam cadendo ad Solem acquirere debeat, credibile est potius in Orbibus valde Eccentricis eos revolvi circa Solem, ac post longissimas Periodos reverti. Sic enim Numerus eorum præfinitus esset, ac fortasse non usque adeo magnus. Spatia autem inter Solem Fixasque tanta sunt, ut Cometæ revolventi cum Periodo quantumvis longâ satis loci sit. Latus autem rectum Ellipsis est ad Latus rectum Parabolæ eandem Periheliam distantiam habentis, ut distantia Aphelia in Ellipsi est ad Axem totum Ellipseos; Velocitates autem sunt in dimidiata ratione Laterum rectorum: quapropter in Orbibus valde Eccentricis ratio hæc accedit proximè ad rationem æqualitatis. Tantilla autem differentia quæ intercedit, ratione majoris in Parabola velocitatis, facillime in situ Orbis determinando compensatur. Tabulæ itaq; Elementorum Motuum usus præcipuus est, atque etiam propter quem illam construere operæ pretium duxi, ut, siquando novus Cometa emerserit, possimus collatis Elementis dignoscere an poterit esse aliquis ex antiquis, necne; ac proinde Periodum Orbitæque Axem determinare, reditumque prædicere.

De Motu Cometarum in Orbibus Ellipticis.

COnfectâ jam ante plures annos Elementorum Tabulâ præmissâ, statim subodoratus sum, ex situ consimili Planorum & Periheliorum, unum eundemq; fuisse Cometam tertia vice in Orbe Elliptico revolutum, qui annis 1531, 1607, & 1682 conspecti sunt. Verum cum Periodorum & Inclinationum diversitas aliquanto nimia huic nostræ suspicioni adversari videretur, ac priorum *Apiani* & *Kepleri* observata parum accurata, ne dicam rudia, tam subtili negotio enucleando vix paria esse judicarem; contentus eram, cum hanc Synopsin prima vice, anno sc. 1705, ederem, conceptus hos meos, aliqua saltem probabilitatis specie fultos, indicasse; Posterosque ut reditum ejus, juxta annum 1758 expectandum, sedulò præstolarentur monuisse. Postea vero quam, evolutis Cometarum antiquiorum Catalogis, Tres alios deprehenderam, eodem plane ordine, paribusq; temporis intervallis, dictos Tres præcessisse (nempe anno 1305 circa *Pascham*, anno 1380 sed incerto Mense, ac deinde anno 1456 Mense *Junio*) priorem sententiam paulo audentius tueri cœpi: Et compos factus methodi quâ calculus in Orbe Elliptico quantumvis Eccentrico accuratè & perfacile absolvitur, loco Orbis Parabolici Cometæ anni 1682 inter Elementa descripti, Ellipsi Magnitudine & Specie datæ, in cujus Foco Sol, ad Eclipticæ planum Terræq; in eâ motum ita Positionem coaptare aggressus sum, ut omnia D^ni *Flamstedii* de

hoc


hoc Cometâ observata, prægrandi ac peraccurato Sextante capta, & à Refractionibus debitè purgata, Theoriam nostram computi rigorosi examini subjectam abunde comprobarent.

Manifestum autem est duas hujus Cometæ Periodos CLI annis proximè peragi, singulas vero alternatim majores & minores provenire LXXVI & LXXV annorum circiter: Proinde sumptâ Periodo mediâ septuaginta quinq; cum semisse annorum (per *Prop.* 15. Lib. I. *Princip. Philos. Natur.*) fit semiaxis major Orbis Cometæ ad mediam Terræ à Sole distantiam, ut $75\frac{1}{2}^{\frac{2}{3}}$, hoc est ut 17,8635 ad 1. Inventâ autem distantiâ Periheliâ observationibus maxime congruâ partium istarum 0,5825, fit Eccentricitas Orbis 17,2810, unde semiaxis minor 4,5246. Hujus Ellipseos Planum ad Planum Eclipticæ inclinatum reperi angulo 17°. 42′, Nodumque habere ascendentem ad ♉ 20°. 48′; Perihelion vero Cometæ, in hoc Plano Retrogradi, ad ♒ 1°. 36′, sive 109°. 12′ post Nodum Ascend. Et Tempus æquatum Perihelii *Septemb.* 4°. 21$^{h.}$ 22′. Motus autem medius ejus diurnus pars erat $\frac{1}{75\frac{1}{2}}$ Motus medii diurni Solis, sive 0°. 0′. 47″ quam proximè; & existente radio 1, arcûs 0′. 47″ longitudo, hoc est 0,000227843, est ut Motus diurnus Cometæ in extremitate Axis minoris, & eam habet rationem ad circumferentiam Circuli, quam habet dies unus ad Tempus Periodicum, quamq; habet Area Elliptica, quotidie radiis ad Solem ductis intercepta, ad Aream totius Ellipseos; quamque proinde commodè pro mensurâ Motûs medii Cometæ usurpari poterit. Hujus itaq; Logarithmus 6,357636, Logarithmo Temporis à Perihelio additus, dat Logarithmum medii Motûs ad datum Tempus, sive rationis Areæ, inter locum Cometæ in Orbe suo ac Perihelion radio ad Solem ducto abscissæ, ad Aream totam Ellipseos.

Componitur autem hæc Area è duabus, nempe ex Areâ Trianguli cujus Basis est distantia Perihelia Cometæ & altitudo ordinatim applicata, & ex Areâ Segmenti chordâ de vertice Ellipsis ad Cometam ductâ intercepti: Id quod fortasse nonnullis utile erit Schemate plenius exponi.

Orbis Cometæ Elliptici PBH sit CP semiaxis major, CH semiaxis minor, PA circulus Ellipsi circumscriptus, & S Focus; unde PS distantia Perihelia & CS Eccentricitas Orbis. Sit Cometæ locus in B, à quo ducatur ordinatim applicata ad Axem BD, quæ producta occurrat circulo in A, ac jungantur rectæ AP, AS; BP, BS; & in ductâ CA fiat CE ipsi CS æqualis, & sit ad axem normalis EG. Jam constat ex probatissimis *Kepleri* inventis

inventis, aream PSAP esse ad aream totam Circuli, pariterq; PSBP ad aream totam Ellipseos, ut Tempus quo describeret Cometa arcum BP ad Tempus Periodicum quo revolutionem integram in Ellipsi peragerct. Area autem PSAP conflatur è Segmento Circulari APA & Triangulo PSA, cujus quidem Trianguli duplum est PS × AD Sinum anguli ACP; Segmenti vero duplum est excessus arcûs AP supra Sinum AD in radium CP ductus. Ponatur Radius $CP = 1$, & dicatur $PS = b$, & datâ areâ qualibet $PASP = a$, quæratur $AD = z$ Sinus Anomaliæ Eccentri ACP. Est autem zb duplum Trianguli PSA; ac juxta Theorema notissimum, arcus



Circularis $AP = z + \frac{1}{6}z^3 + \frac{3}{40}z^5 + \frac{5}{112}z^7$, *&c.* Unde dupla area Segmenti PAP fit $\frac{1}{6}z^3 + \frac{3}{40}z^5 + \frac{5}{112}z^7$, *&c.* Ac proinde $2a = bz + \frac{1}{6}z^3 + \frac{3}{40}z^5 + \frac{5}{112}z^7$, *&c.* Extractâ autem hujus æquationis Radice z, datur Anomalia Eccentri ACP, ejusq; Sinus Versus PD: ac si fiat ut CP ad CS ita PD ad SG, $PG = SG + PS$ erit ipsi BS distantiæ Cometæ à Sole æqualis. Denique fiat ut CP ad CH ita AD ad BD, qui sinus erit Anomaliæ veræ sive anguli PSB ad radium BS.

Extractio autem Radicis ex hac æquatione minimè obvia est, nec generaliter in omni casu nisi tentando efficienda. Quocirca ad levandam Calculi molestiam, Tabulam sequentem, ejusdem pene formæ cum Tabula Generali pro Motu Parabolico, juxta jam exposita principia concinnavi; cujus ope Cometæ anni 1682 Observata omnia *Grenovicensia* satis apte repræsentantur.

Verum in hac Tabulâ condendâ usus sum artificio quale *Keplerus* in Tabulis suis *Rudolphinis* adhibet. Ponendo enim angulum Anomaliæ Eccentri ACP æquabiliter augeri, in secundâ Columnâ sub titulo medii Motus habetur dupla Area Spatii mixtilinei PASP, composita ex differentiâ arcûs AP & Sinûs AD in Radium $CP = 1$, & ex rectangulo PS × AD simul sumptis, capiendo scilicet PS ad 1 in ratione quam habet semiaxis major 17,8635 ad 0,5825 distantiam Periheliam; unde PS fit 0,0326085, ejusq; Logarithmus 8,513331. Columna Quarta exhibet angulum PSB Anomaliæ veræ à Perihelio; & Sexta Logarithmum rationis quam habet SP ad distantiam SB respectivè. Cæteræ Columnæ differentias dant priorum, unde paratius sumantur partes proportionales. Hæc autem Tabula non nisi in Ellipsibus huic nostræ similibus locum habet.

Pppp *TABULA*

TABULA MOTUS COMETÆ
ANNIS MDXXXI, MDCVII & MDCLXXXII *VISI.*

Anom. Eccentri.	*Medius Motus Cometæ.*	*Differentia Medii Motus.*	*Angulus à Perihelio.*	*Differentia Angulorum.*	*Logarithmus pro distantiâ à Sole.*	*Differentia Logarithm.*
° ′			° ′ ″	° ′ ″		
0 0	0,00000000		0 0 0		0,000000	
0 12	0,00011383	11383	1 33 12	1 33 12	0,000078	78
24	0,00022770	11387	3 6 23	1 33 11	0,000314	236
36	0,00034166	11396	4 39 29	1 33 6	0,000706	392
48	0,00045574	11408	6 12 30	1 33 1	0,001254	548
1 0	0,00056998	11424	7 45 21	1 32 51	0,001958	704
12	0,00068443	11445	9 18 3	1 32 42	0,002817	859
24	0,00079913	11470	10 50 34	1 32 31	0,003830	1013
36	0,00091411	11498	12 22 50	1 32 16	0,004994	1164
48	0,00102943	11532	13 54 50	1 32 0	0,006311	1317
2 6	0,00114511	11568	15 26 33	1 31 43	0,007778	1467
12	0,00126120	11609	16 57 55	1 31 22	0,009396	1618
24	0,00137775	11655	18 28 59	1 31 4	0,011156	1760
36	0,00149479	11704	19 59 39	1 30 40	0,013064	1908
48	0,00161237	11758	21 29 53	1 30 14	0,015115	2051
3 0	0,00173052	11815	22 59 40	1 29 47	0,017307	2192
12	0,00184929	11877	24 29 0	1 29 20	0,019639	2332
24	0,00196871	11942	25 57 50	1 28 50	0,022105	2466
36	0,00208885	12014	27 26 9	1 28 19	0,023708	2603
48	0,00220972	12087	28 53 55	1 27 46	0,027441	2733
4 0	0,00233135	12163	30 21 9	1 27 14	0,030303	2862
12	0,00245383	12248	31 47 46	1 26 37	0,033292	2989
24	0,00257715	12332	33 13 49	1 26 3	0,036403	3111
36	0,00270139	12424	34 39 13	1 25 24	0,039636	3233
48	0,00282658	12519	36 3 58	1 24 45	0,042987	3351
5 0	0,00295274	12616	37 28 4	1 24 6	0,046452	3465
12	0,00307994	12720	38 51 29	1 23 25	0,050029	3577
24	0,00320820	12826	40 14 13	1 22 44	0,053715	3686
36	0,00333758	12938	41 36 14	1 22 1	0,057508	3793
48	0,00346809	13051	42 57 30	1 21 16	0,061405	3897
6 0	0,00359981	13172	44 18 3	1 20 33	0,065400	3995

TABULA MOTUS COMETÆ

ANNIS MDXXXI, MDCVII & MDCLXXXII *VISI.*

Anom. Eccentri.	*Medius Motus Cometæ.*	*Differentia medii Motus.*	*Angulus à Perihelio.*	*Differentia Angulorum.*	*Logarithmus pro distantiâ à Sole.*	*Differentia Logarithm.*
° ′	•		° ′ ″	° ′ ″		
6 0	0,00359981		44 18 3		0,065400	
		13295		1 19 48		4093
12	0,00373276		45 37 51		0,069493	
		13422		1 19 3		4183
24	0,00386698		46 56 54		0,073676	
		13553		1 18 16		4276
36	0,00400251		48 15 10		0,077952	
		13689		1 17 31		4363
48	0,00413940		49 32 41		0,082315	
		13829		1 16 43		4447
7 0	0,00427769		50 49 24		0,086762	
		13972		1 15 56		4530
12	0,00441741		52 5 20		0,091292	
		14120		1 15 8		4606
24	0,00455861		53 20 28		0,095898	
		14271		1 14 20		4682
36	0,00470132		54 34 48		0,100580	
		14427		1 13 32		4753
48	0,00484560		55 48 20		0,105333	
		14587		1 12 43		4824
8 0	0,00499147		57 1 3		0,110157	
		14751		1 11 55		4889
12	0,00513898		58 12 58		0,115046	
		14921		1 11 7		4953
24	0,00528819		59 24 5		0,119999	
		15093		1 10 19		5014
36	0,00543912		60 34 24		0,125013	
		15267		1 9 29		5070
48	0,00559179		61 43 53		0,130083	
		15447		1 8 41		5128
9 0	0,00574626		62 52 34		0,135211	
		15633		1 7 53		5178
12	0,00590259		64 0 27		0,140389	
		15821		1 7 3		5229
24	0,00606080		65 7 30		0,145618	
		16015		1 6 16		5276
36	0,00622095		66 13 46		0,150894	
		16210		1 5 27		5322
48	0,00638305		67 19 13		0,156216	
		16410		1 4 38		5363
10 0	0,00654715		68 23 51		0,161579	
		16616		1 3 51		5403
12	0,00671331		69 27 42		0,166982	
		16825		1 3 3		5440
24	0,00688156		70 30 45		0,172422	
		17037		1 2 17		5476
36	0,00705193		71 33 2		0,177898	
		17254		1 1 30		5509
48	0,00722447		72 34 32		0,183407	
		17474		1 0 43		5539
11 0	0,00739921		73 35 15		0,188946	
		17700		0 59 56		5568
12	0,00757621		74 35 11		0,194514	
		17929		0 59 11		5595
24	0,00775550		75 34 22		0,200109	
		18162		0 58 24		5619
36	0,00793712		76 32 46		0,205728	
		18399		0 57 41		5643
48	0,00812111		77 30 27		0,211371	
		18640		0 56 55		5663
12 0	0,00830751		78 27 22		0,217034	

Hujus etiam Calculi cape Exemplum. Anno 1682 *Augusti* $30^{mo}.\ 7^{h}.\ 42'$ Temp. æquat. *Grenovici*, observatus est, repetitis & limitatis Observationibus, Locus Cometæ, deductâ refractione, in ♎ 15°. 34′. 42″, cum Lat. Boreâ 17°. 24′. 56″. Videamus jam quali successu respondeat computus noster.

Tempus propositum Perihelion Cometæ præcessit $5^{d}.\ 13^{h}.\ 40'$, sive in partibus decimalibus, 5^{d}, 5694. Hujus numeri Logarithmus 0,745811 Logarithmo Motus diurni 6,357636 additus, dat Log. numeri 0,00126896 pro medio Motu Cometæ ante Perihelion. In Tabulâ invenio, ad 2°. 12′ Anomaliæ Eccentri, Medium Motum 0,00126120 minorem dato partibus 776, quarum 11655 augent angulum à Perihelio 1°. 31′. 4″, & Logarithmum pro distantiâ à Sole differentiâ 1760: Adjectâ itaq; angulo 16°. 57′. 55″, & Logarithmo 0,009396, in Tabulâ isti medio motui competentibus, parte proportionali respectivè, fit angulus veri Motus à Perihelio 17°. 3′. 58″, & Log. pro distantiâ à Sole 0,009513, ipsius vero distantiæ Log. 9,774809. Ad locum Perihelii nempe ♒ 1°. 36′ adde 17°. 3′. 58″, & habebitur locus Cometæ in Orbe ♒ 18°. 39′. 58″, ad Eclipticam vero reductus ♒ 18°. 33′. 36″, cum Latitudine Heliocentricâ 17°. 41′. 14″ Boreâ; unde Distantiæ curtatæ Log. 9,753779. Eodem momento Sol habuit ♍ 17°. 20′. 54″, ac Log. distantiæ ejus à Terrâ 0,002395. Ex his datis elicitur Locus Cometæ Geocentricus ♎ 15°. 35′. 58″ cum Lat. Boreâ 17°. 24′. 11″; peccans in Longitudine 1′. 16″, in Latitudine vero non nisi 0′. 45″.

Ad hunc modum Theoriam jam expositam cum omnibus D[ni] *Flamstedii* observatis conferendo, ubiq; intra differentias merito contemnendas consensum Cœli cum motu hoc Elliptico expertus sum; uti patet ex subjectâ Tabellâ.

MDCLXXXII. *Temp. Appar.*	*Cometæ Long. Observat.*	*Lat. Bor. Observat.*	*Cometæ Long. Comput.*	*Lat. Bor. Comput.*	*Differen. Longit.*	*Differen. Latit.*
D. H. ′	° ′ ″	° ′ ″	° ′ ″	° ′ ″	′ ″	′ ″
Aug. 19 16 38	♌ 18 15 5	25 49 19	♌ 18 14 19	25 48 33	− 0 46	− 0 46
20 15 38	24 47 55	26 11 50	24 48 5	26 11 40	+ 0 10	− 0 10
21 8 21	29 37 51	26 15 15	29 39 3	26 18 3	+ 1 12	+ 2 48
21 16 19	♍ 1 58 0		♍ 1 58 23		+ 0 23	
22 8 8	6 30 8	26 4 35	6 32 10	26 6 37	+ 2 2	+ 2 2
29 8 20	♎ 12 35 55	18 37 27	♎ 12 38 19	18 35 3	+ 2 24	− 2 24
30 7 45	15 34 42	17 24 56	15 35 58	17 24 11	+ 1 16	− 0 45
Aug. 31 8 21	18 16 20		18 17 30		+ 1 10	
Sept. 1 7 33	20 28 12	15 11 37	20 29 31	15 11 23	+ 1 19	− 0 14
4 7 22	25 39 36	12 22 29	25 39 34	12 22 42	− 0 2	+ 0 13
5 7 32	26 58 20	11 31 26	26 57 45	11 33 34	− 0 35	+ 2 8
8 7 16	♎ 29 56 0	9 25 31	♎ 29 54 40	9 26 26	− 1 20	+ 0 55
9 7 26	♏ 0 41 36	8 49 2	♏ 0 39 39	8 49 0	− 1 57	− 0 2

Neque

De Motu Cometarum in Orbibus Ellipticis.

Neque ulteriore limâ Orbem hujus Cometæ expoliendum esse censui, cum differentiæ quas videmus non totæ Numerorum nostrorum erroribus tribuendæ sint; sed partim ipsis Observationibus, partim assumptis Fixarum locis nondum absolutè perfectis, præcipue vero Refractionibus aëreis prope Horizontem variis, quibus toto apparitionis suæ tempore implicabatur Cometa, vix unquam visus 12 gradibus altior. Sed & differentiæ istæ haudquaquam majores sunt quam quæ in Theoriis Planetarum primariorum, per tot secula ab Astronomis excultis, vulgo experimur. Utinam *Jovis* & *Saturni* Motus intra tam arctos limites coercere liceret.

Stabilito itaq; hoc Orbe, expendamus jam cursum Cometæ quem Anno 1607 se observasse scribunt *Keplerus* & *Longomontanus*, Viri sane in Astronomicis gravissimi, sed qui descriptione nimis laxâ, ac nostræ disquisitioni haud satis aptâ, contenti sunt: Qualia autem reliquere Observata hic habes.

Anno 1607, *Sept.* 16. St. Vet. *Keplerus Pragæ* circa horam nonam, vel *Londini* octavam, Cometam primâ vice vidit sub *Ursa majore*, & quantum ex situ inter Fixas remotiores potuit, locum ejus æstimavit ♌ 18°. 30′, cum Lat. Bor. 35½. Sequenti mane hora tertiâ, distantia à *Genu Ursæ posteriori (ψ Bayero)* paulo minor erat distantiâ duarum in *Pede viciniore* (λ & μ *Ursæ*) eique ad oculum parallela, quasi in lineâ ex *Genu Ursæ* in *Solitariam Colli (υ Bayero)*. Rectificatis Stellarum locis (quæ vitiosè describuntur, nescio quo casu, in Abaco *Tychonico*) fit visus Cometæ locus ♌ 21°. 49′. Lat. 36°. 12′ Boreâ. Horâ nempe *Londini* æquat. 13^h. 51′.

Sept. 18. 8^h. 30′ *Pragæ*, *Londini* 7^h. 20′ Temp. æquat. Visus est Cometa stare infra Stellulam informem sociam *Informis magnæ inter Caudas Ursæ & Leonis*, quæ tunc habuit ♍ 12°. 18′, cum Lat. 40°. 33′½, à quâ aberat diametro Lunæ, in lineâ quæ tendit secundum *Ultimam Caudæ Ursæ* per *Manum Bootis*. Cometam reponunt hæc Observata in ♍ 12°. 2′, cum Latitudine 40 graduum; cum nempe distantiæ nudo oculo æstimatæ Lunæ diametro æquales, sint saltem 40 Min.

Sept. 21. 7^h. 30′ *Haphniæ*, hoc est *Londini* 6^h. 30′ Temp. æquat. *Longomontanus*, per Sextantem quinque, ut ait, in radio Cubitorum, invenit Cometam distare à *Mediâ Caudæ Ursæ Majoris* 30°. 59′, & circa idem tempus à *Lucidâ Coronæ* 16°. 45′, Observationibus reiteratis. Hinc verificatis è *Catatalogo Britannico* Fixarum locis, oritur Cometæ Long. ♎ 16°. 48′, cum Lat. Boreâ 37°. 12′. Circa idem tempus observavit *Keplerus*, Tyrone usus socio, Cometam distare ab *Arcturo* 6°. 5′, in recta ducente ab *Arcturo* in *præcedentem Humerum Bootis* (γ *Bayero*) unde Cometæ locus saltem ♎ 17°. 0′.

 Sept.

Sept. 25. Post horam primam ab Occasu Solis *Pragæ* 6h. 48' *Londini* Temp. æquat. 5h. 36'. videbatur Cometa exiguo superior linea ex *Arcturo* in *Claram in Collo Serpentis* (α) distans ab eadem 4°. 30'. Horâ vero secundâ ab Occasu Solis, sive 7h. 37' *Pragæ*, satis apparebat superasse lineam ex *Radice Colli Serpentis* (δ) in *Eductionem Colli ejus* (β) ductam. Prima Observatio reponit Cometam in ♏ 12°. 0'; altera ad horam secundam in ♏ 12°. 30' circiter.

Sept. 27. Cometa incidit in lineam ex *Secunda in Collo Serpentis* (δ) per *Claram Colli* ductam, stans sub ea *quæ sequitur Claram* (ε) Diametro Lunæ, vel paulo plus; & linea ex Cometâ per illam suam vicinam incidebat medio inter *Lucidam Coronæ* & *Humerum Herculis* (β). Hæc signant locum Cometæ in ♏ 18°. 50', cum Lat. 23°. 20' Bor. *Keplerus* horam non habet, sed adultâ nocte factam Observationem credibile est, ob visas Stellas minores. Pone 6h. 30' *Londini* Temp. æquat.

Octob. 1. 6h ½ *Malmogiæ* in *Scania* vidit *Longomontanus* Cometam distantem à *Boreâ Manus Serpentarii* quoad visum vix gradûs dimidio; erat autem tunc in rectâ cum *Arcturo* & *Australi in eadem Manu*: Circa idem tempus, ait *Keplerus*, exiguo erat inferior lineâ *duarum Manûs*, distans à proximâ tertiâ parte distantiæ illarum. Uterq; Observator, nescio quo fato, perperam deduxere locum Cometæ ex his suis Observationibus, quem alter habet ♏ 25°. 50', cum Lat. 17°. 35'; alter ♏ 26°. 30', cum Lat. 17°. 40', immani discrepantiâ, cum in æstimatâ distantiâ & situ Cometæ pene conveniant. Si loco diametri Lunæ ponantur 40', (ut nudo oculo plerumq; videtur) ac supponatur Cometa in linea recta cum Stellis *Manûs* constitutus, foret 23 Min. Borealior proximâ, ac 34 Min. Occidentalior, hoc est in ♏ 26°. 16', cum Lat. Bor. 17°. 40'. Sed hanc rectam præcedebat sensibiliter consensu utriusque, adeoq; erat proximè in ♏ 26°. 0'; id quod satis accurate reponit Cometam in lineâ rectâ cum *Arcturo* & *Australi in Manû*, ut à *Longomontano* notatum est.

Octob. 2. Uterq; Observator iisdem in Urbibus Cometam contulerunt cum prædictis Stellis in *Manû*. *Longomontanus* Horâ 6h ½ vidit eum in cuspide obtusi Isosceles Trianguli cum dictis Stellis, propius tamen ad earum Boream inclinabat. Conficiebat autem, quoad filarem extensionem, rectam lineam cum *Penultima ad ortum in Coronâ* (ε) & *Boreâ in Manu*; itemque aliam rectam cum *Australi Manûs* & *inferiore capite* ♏ (credo ♑). *Keplerus* circa idem tempus (horam enim non notat) vidit Cometam inter *duas Manûs* medium, infra tamen lineam illarum, paulo altior linea ex ima illarum in *Spi-*

ram Serpentis vicinam (*μ Serpentis Bayero*). Omnibus perpensis fit Locus Cometæ ♏ 27°. 5′, cum Lat. Boreâ 16°. 40′. *Londini* 5^h. 12′ Temp. æquat.

Octob. 5. 8^h. 30′ *Pragæ*, instrumentulo quodam è *Tychonicis*, observavit *Keplerus* distantiam Cometæ à *Genu Ophiuchi* (*κ*) 14°. 14′, & ab *Humero præcedente Herculis* (*β*) 28°. 56′. Hinc fit Cometa in ♏ 29°. 47′, cum Lat. Boreâ 14°. 2′$\frac{1}{2}$.

Octob. 6°. Eadem Horâ, distabat à *Genu Ophiuchi* 13°. 22′, & ab *Humero Herculis* 29°. 27′; unde Longitudo ♐ 0°. 33′$\frac{1}{2}$, & Lat. 13°. 36′$\frac{1}{2}$.

Octob. 9. 8^h. Hæ distantiæ erant 11°. 22′; & 31°. 19′; ac proinde locus Cometæ ♐ 2°. 1′, cum Lat. Boreâ 11°. 56′.

Octob. 12. 6^h. 30′ *Haphniæ*, Consensu utriusq; Observatoris, erat Cometæ locus ♐ 1°. 50′, cum Lat. 9°. 45′ Bor. Sed cum hoc è filaribus tantum extensionibus per Stellas remotiores conclusum sit, quæ observandi methodus in minimis vix satis fida, nollem Cometæ Motum apparentem jam tum Retrogradum factum hinc adstruere.

Octob. 16. 6^h. 15′ *Pragæ*, *Keplerus* ultimâ vice Cometam vidit, idq; raptim inter nubes: Stabat, *ait*, humilis admodum, in Verticali qui circiter dimidiâ Lunæ diametro occidentalior erat ipso *Genu* (*ζ*) *Ophiuchi*, tantum infra *Genu* ut quasi quatuor, certe plus quam tres, distantiæ duarum in *Manu* interesse viderentur. De hac observatione vide *Longomontanum*, ubi *Keplerum* redarguit nimis securè Cometam ad Latitudinem 6°$\frac{1}{2}$ *gr.* deprimentem; cum ex dicto situ illum non minorem habuisse Longitudinem quam ♐ 2°. 10′, nec Latitudinem 8 *gr.* minorem computat.

Hæc observata è *Kepleri* libello *de Cometis* anno 1619 *Augustæ Vindelicorum* edito, & ex *Appendice Astronomiæ Danicæ Longomontani* desumpta (quæ tamen optassem majori cum studio descripta, præsertim juxta finem apparitionis) cursum hujus Cometæ mediocriter quidem designant; satis evidenter vero commonstrant unum eundemq; fuisse cum eo Anni 1682, eodem plane argumento quo *Martem*, diutius sub Solis radiis aliquando latitantem, eundem esse Planetam novimus.

Etenim uterq; Cometa Retrogradus, & idem specie Orbis utriq; communis vix majori Nodorum & Perihelii motu diversus reperitur, quam qui post tot annos in Planetarum superiorum Orbibus agnoscitur. Cum autem inter annos 1531 & 1607 intersint Anni 76, Semiaxem ejus paulo majorem feci, nempe qui sit ad mediam Solis distantiam ut 76$\frac{1}{2}$ sive 17,9422 ad 1; distantiamq; Periheliam proportionaliter auxi, id etiam postulantibus Observationibus, ut sit 0,58507, cujus Logarithmus 9,767207. Nodum autem habuit Ascen-

Aſcendentem ad ♉ 17°. 48′. 40″, cum Inclinatione Plani ad Eclipticam 17°. 20′; Perihelion vero in ♒ 1°. 3′. 40″; & Temp. æquat. Perihelii *Octob.* 16°. 21ʰ. 44′ *Londini.* Motus etiam medius ejus diurnus ſit pars ſeptuageſima ſexta diurni Solis, ſive 0,000226344, cujus Logarithmus 6,354769.

His poſitis Elementis, eâdem omnino calculi methodo quâ in præcedentibus uſus ſum, hujus Cometæ Obſervata qualia qualia cum Numeris Tabulæ noſtræ contuli; ac licet in aliquibus ex ultimis diverſitas paulo nimia reperiatur, hoc maximâ ex parte Obſervationibus ipſis parum ſibi congruis tribuendum eſſe, facile perſpiciet Candidus Lector.

M DC VII. *Temp. Æquat.*	*Cometæ Long. Obſervat.*	*Lat. Bor. Obſervat.*	*Cometæ Long. Comput.*	*Lat. Bor. Comput.*	*Differen. Longit.*	*Differen. Latit.*
D. H. ′	° ′ ″	° ′ ″	° ′ ″	° ′ ″	′ ″	′ ″
Sept. 16 13 51	♌ 21 49 0	36 12 0	♌ 21 55 56	36 20 4	+ 6 56	+ 8 4
18 7 20	♍ 12 2 0	40 0 0	♍ 12 3 15	39 50 0	+ 1 15	−10 0
21 6 30	♎ 16 48 0	37 12 0	♎ 16 45 13	37 11 2	− 2 47	− 0 58
25 5 36	♏ 12 12 0		♏ 12 8 47		− 3 13	
27 6 30	18 50 0	23 20 0	18 44 40	23 16 0	− 5 20	− 4 0
Oct. 1 5 25	26 0 0	17 40 0	25 58 40	17 45 46	− 1 20	+ 5 46
2 5 12	27 5 0	16 40 0	27 7 12	16 44 0	+ 2 12	+ 4 0
5 7 15	♏ 29 47 0	14 2 20	♏ 29 39 25	14 5 35	− 7 35	+ 3 15
6 7 15	♐ 0 33 30	13 36 30	♐ 0 14 0	13 22 55	−19 30	−13 35
9 6 45	2 0 50	11 56 0	1 25 7	11 33 48	−34 43	−22 12
12 5 25	1 50 0	9 45 0	2 1 17	10 4 36	+11 17	+19 36
16 5 0	♐ 2 10 0	8 0 0	♐ 2 14 32	8 24 10	+ 4 32	+24 10

Hic obiter notandum occurrit, Nodos hujus Cometæ tres gradus præceſſiſſe eos Cometæ anni 1682, motu ſecundum ſeriem ſignorum progreſſos; dum Perihelion 32′. 20″ tantum promotum eſt. Sed hoc annorum ſpatio præceſſio Æquinoctiorum fit 1°. 2′. 30″; unde reſpectu Fixarum, receſſit Aphelion dimidio gradu, procedentibus interea Nodis 1°. 57′. In Planetis autem progrediuntur Aphelia ac Nodi recedunt, ob Vires Corporum cœleſtium Centripetas, manifeſto ſeſe Solis Viribus immiſcentes, eaſq; interturbantes, quæ alias accuratiſſimè in ſubduplicatâ ratione diſtantiarum à centro ejus reperirentur; unde corpora circa centrum illud revoluta, in Planis quieſcentibus & invariatis, gyros Ellipticos in ſeſe redeuntes perpetuo deſcriberent, per *Prop.* 14. Lib. III. *Princip. Natur. Philoſophiæ.* Verum hic Cometa motu Retrogrado fertur; unde ob eaſdem cauſas Aphelion ejus regredi, Nodiq; promoveri debent in Cœlo immobili, propter quas Planetarum Nodi regrediuntur & Aphelia procedunt.

Objiciat

De Motu Cometarum in Orbibus Ellipticis.

Objiciat fortasse nonnullus Inclinationum & Periodorum diversitatem, eâ quæ in revolutionibus ejusdem Planetæ observatur multo majorem; cum nempe una Periodus alteram plusquam spatio annuo excedat, & Inclinatio Cometæ Anni 1682 totis viginti duobus minutis primis superet Inclinationem motui Cometæ anni 1607 competentem. Perpendas tamen, obsecro, ea quæ ad finem Tabularum nostrarum *Saturni* monuimus, ubi unam istius Planetæ Periodum aliquando tredecim diebus aliâ diuturniorem fuisse monstravimus; idq; evidenter fieri Vi Gravitatis versus *Jovis* centrum tendentis, quæ quidem Vis in paribus distantiis millesima fere pars est Vis Solis ipsius, quâ in Orbibus suis retinentur Planetæ. Computo autem accuratius instituto, Vires *Jovis* in *Saturnum, ex gr.* in Conjunctione ut vocant magnâ, *Januarii* 26° anno 1683 factâ, inveniuntur ad Vim Solis in eundem *Saturnum* ut 1 ad 186; Summa igitur Virium est ad Vim Solis ut 187 ad 186. Sed ad easdem distantias à centro, revolventium in circulo Tempora Periodica sunt in subduplicata ratione Virium quibus urgentur: Proinde auctâ Gravitate parte sui 186ma, abbreviaretur Periodus parte 374ta circiter, hoc est toto Mense in *Saturno*. Quanto magis hujusmodi erroribus obnoxius erit hic Cometa, qui quatuor pene vicibus altius excurrit *Saturno*, cujusq; Velocitas, parte sui 120^{mâ} minore aucta, poterit Orbem Ellipticum in Parabolicum immutare?

Accidit autem, currente æstate anni 1681, Cometam anno sequente visum, in descensu suo versus Solem, *Jovi* ita conjunctum fuisse, & per plures menses eidem adeo vicinum, ut toto illo tempore parte quasi quinquagesimâ Virium quæ Solem petebant, versus centrum *Jovis* simul urgeretur: Unde, juxta Gravitatis Theoriam, arcus Orbis Elliptici, quem absente *Jove* Cometa describere debuisset, jam flexu Hyperboliformi *Jovem* respiciente intortus, speciem Curvæ admodum compositæ atq; hactenus *Geometris* intractabilis indueret; in qua Corporis moti Velocitas & directio, ab iis quæ aliàs in Ellipsi fierent, pro ratione causæ, diversæ provenirent.

Hinc ratio reddi potest immutatæ Inclinationis: Nam cum Cometa in hoc transitu *Jovem* habuerit Boream versus pene normaliter in viam ejus erectum, incurvari debuit ista Orbis portio in eandem plagam; ac proinde Tangentibus ejus majoribus cum Angulis ad Planum Eclipticæ inclinatis, angulus Inclinationis Plani ipsius augeretur necessariò. Præterea Cometa diuturniori morâ in viciniâ *Jovis* hærens, dum è partibus à Sole remotioribus tardius eum accessit, ac junctis utriusq; centri viribus urgeretur, plus Velocitatis ascititiæ acquisivisse debuit, quam in recessu ejus à *Jove* citatiori motu ac breviori tempore facto, in contrarias partes agentibus viribus, amittere

Rrrr potuit:

potuit: Proinde auctâ hoc excessû velocitate propriâ Cometæ, probabile fit reditum ejus non nisi post Periodum longiorem 76 & amplius annorum, circa finem anni 1758 vel initium proximi, futurum. Sed hæc levi tantum calamo à nobis tacta, Posterorum studio penitius excutienda permittimus, postquam rei veritas ex eventu comprobata fuerit.

Quod Cometa anni 1531 ab *Apiano* observatus idem fuerit cum jam descripto satis patet ex Periodo, ex motu ejus inter Solem & Terram Retrogrado, ex situ Perihelii & Nodorum & ex Inclinatione à prioribus non multum diversis: Quæ tamen omnia si quis accuratè definire susciperet, frustraneam certè navaret operam, propter Observationes nimis imperfectas, rudi Minervâ & instrumento parvo Azimuthali captas, & ad ostendendum Caudæ Cometicæ ascensum in partes à Sole aversas unicè destinatas.

Nequis tamen causetur quicquam huc spectans à nobis omissum, *Apiani* ipsius opus *Astronomicon Cæsareum*, *Carolo* V. *Cæsari* dicatum, & apud nos tandem ægrè inventum consului, atq; inde sequentia non alibi edita deprompsi.

Anno 1531 *Ingolstadii* ad *Danubium* (sub Latitudine 48°. 40′, & Longitudine 11° $\frac{1}{2}$ grad. vel 46 Min. Temp. à *Londino* ad ortum) *Augusti* 13°. vesperi, primâ vice observavit Cometam *Apianus* Corum versus: Ac Stellâ clarâ *Arcturi* ipsam Occidentis plagam occupante, vel, ut aiunt, in primo Verticali constitutâ, Cometa altus 7°. 56′ erat 49°. 26′ Occidente Borealior. Posterâ Nocte *Aug.* 14°, revoluto Cœlo, erat altitudo Cometæ 8°. 29′, jam 45°. 22′ versus Boream *Aug.* 15° in eodem Cœli situ, Cometa 9°. 00′ altus Borealior erat 41°. 22′. *Aug.* 16°. altus 9°. 43′ erat Bor. 35°. 13′ tantum. *Aug.* 17°, in Azimuthâ 30°. 46′ ab Occidente, altus erat 10°. 14′. *Aug.* 18°, altus 10°. 39′, ab Occidente 24°. 42′. Deinde, post triduum nubibus obductum, *Aug.* 22, in eodem Sphæræ stellatæ situ, Cometa altus 11°. 25′ erat 7°. 34′ ab Occidente versus Boream: Deniq; *Aug.* 23° *Arcturo* in Occidente sito, eo Borealior erat Cometa non nisi 3°. 50′, in altitudine 11°. 26′.

Supponit autem Observator, pro Astronomiâ suæ ætatis, *Arcturum* tunc habuisse ♎ 16°. 59′, cum Lat. 31°. 30′ Bor. perperam pro ♎ 17°. 41′, cum Lat. 30°. 57′, uti ex certioribus observatis constat. Et substituto hoc ejus loco, fit Ascensio Recta Medii Cœli, *Arcturo Ingolstadii* Occidentem occupante, 278°. 10′. Hinc altitudinibus à Refractione purgatis, calculo satis superq; accurato, proveniunt loca Cometæ ut sequitur.

MDXXXI.

De Motu Cometarum in Orbibus Ellipticis.

MDXXXI. Ingolst. *Temp. App.*			*Cometæ Asc. Recta.*			*Cometæ Decl. Bor.*			*Cometæ Long. Observat.*			*Lat. Bor. Observat.*			*Longit.* Apiano.		*Lat. Bor.* Apiano.	
D.	H.	′	°	′	″	°	′	″	°	′	″	°	′	″	°	′	°	′
Aug. 13	8	26	151	45	45	36	49	25	♌ 20	16	0	23	30	10	♌ 19	15	23	15
14	8	22	156	17	20	35	3	50	24	41	30	23	18	45	23	39	23	2
15	8	19	160	32	50	33	11	50	♌ 29	1	0	23	1	30	24	29	22	0
16	8	15	166	43	20	30	4	30	♍ 5	36	15	22	21	40	♍ 4	32	22	1
17	8	11	170	58	40	27	42	25	10	19	40	21	47	0	9	14	21	25
18	8	7	176	19	30	24	8	50	♍ 16	37	0	20	36	15	♍ 15	30	20	12
22	7	54	190	6	30	13	27	10	♎ 3	49	0	16	20	40	♎ 1	23	16	32
23	7	50	192	53	30	11	1	20	♎ 7	25	30	15	13	40	2	51	14	31

Si hæc loca inter se conferantur, statim manifesta fit nimia eorum discrepantia, vitio Instrumenti quo observabantur proculdubio tribuenda. Sed & in deducendis locis ex Observatione tertiâ & duabus ultimis, graviter ab ipso *Apiano* erratum invenies. Etiamsi vero nihil certi & accurati ex tum incertis Datis elici poterit, abunde tamen valent ad ostendendum hunc Cometam cursum tenuisse cursui ejus qui anno 1682 fulsit perquam similem, ac si Latitudini ejus tres gradus adjicias, pene eundem.

Supervacuum esset Numeros nostros cum his conferre; cum prorsus impossibile sit computo quovis regulari tam irregularia & inter se pugnantia conciliari. Si vero ponatur Periodus 75 annorum, atq; adeo Semiaxis major Ellipseos 17,7845; Distantia Perihelia 0,57993; Nodus Ascendens ♉ 15°. 30′; Inclinatio 17°. 00′, & Perihelion ♒ 1°. 12′; Tempus vero Perihelii Anno 1531 *Augusti* 25d. 19h. 00′; ac medius Motus diurnus pars septuagesima quinta diurni Solis, sive 0,000229362 cujus Log. 6,360522; habebitur, ope ejusdem Tabulæ, motûs hujus Cometæ supputatio, plerumq; Observationibus magis congrua quam sunt ipsæ Observationes inter se.

Vides itaq; in his tribus consensum Elementorum omnium, miraculi sane loco habendum si fuerint tres diversi Cometæ; vel si non fuerint ejusdem in Ellipsi revoluti tres ad Solem Terramq; accessus diversi. Quocirca si secundum prædicta nostra redierit iterum circa annum 1758, hoc primum ab Homine *Anglo* inventum fuisse non inficiabitur æqua Posteritas.

Atq; hic est Cometarum quasi *Mercurius*, arctiore Orbe ac breviore Periodo Solem ambiens, dum cæteri omnes latius expatiantur, & post Revolutiones longissimas & plus quam seculares, imo plurium seculorum, per exigua tantum intervalla hominum conspectui se produnt; dum scilicet à vi-

 cino

cino Sole illustrati fortiore lumine splendent, sensibilesq; exhalant Caudas, quæ non nisi Vapores tenuissimi sunt è materiâ Cometicâ vi caloris agitatâ eliciti, & in æthere tantum non vacuo magnâ cum velocitate sursum protrusi. Sed de hac re Physicâ audi Celeberrimum *NEVTONVM*, sub finem Lib. III. *Principiorum*, pro more suo demonstrativè disputantem.

Hinc fit, ut pari evidentiâ ac in hoc nostro anni 1682, non constet rediisse aliquem alium Cometam. Verum si quid argumenti ex æqualitate Periodorum & ex Phænomenis simularibus peti possit, mirus ille Cometa qui anno 1680 fulsit, unus idemq; fuit qui anno 1106, regnante apud *Anglos* Rege *Henrico* I, è Solaribus radiis primum emersit " Die *Veneris Februarii* 16° " Vesperi, & per longum postea tempus singulis diebus vesperi conspectus est. " Stella apparuit in Notozephyro, quæ exigua est visa & obscura, verum " radius qui ab ea profluxit admodum clarus esse atq; ingens radius putaba- " tur, versus Euraquilonem fulgens ", ut habetur in *Chronico Saxonico*, à Teste oculari ut videtur conscripto. Hæc autem descriptio satis quadrat cum eâ Cometæ anni 1680, tam ratione prolixæ caudæ, quam situs respectu Solis.

Alius etiam Cometa similis, juxta Consulatum *Lampadii & Orestis* & annum *Christi* 531, Imperante *Justiniano*, vesperi visus est; de quo *Malela* Author *Chronici Antiocheni*, fortassis etiam Testis ocularis, hæc scribit. " Stella " ingens & tremenda in Occidente comparuit, radium album sursum emit- " tens, quam quod fulguris emissionem præ se ferebat *Lampadian* nonnulli " vocitabant. Per Dies autem XX fulsit ". Optassem quidem Historicum anni tempestatem qua hæc conspecta sunt prodidisse; manifestum tamen est intervallum annorum inter hunc & illum anno 1106 visum, proximè æquale fuisse intervallo inter annos 1106 & 1681, nempe 575 annorum circiter.

Deductâ autem aliâ Periodo huic æquali, deveniemus ad annum ante *Christum* natum quadragesimum quartum, quo post occisum *Julium Cæsarem*, emersit Cometa maxime insignis, ab Historicis ejus temporis pene omnibus celebratus, & à *Plinio*, *Nat. Hist.* Lib. II. Cap. 24; ubi habentur verba ipsius *Augusti Cæsaris* de hac re: Horum ope ad ipsissimum tempus, situmq; Phænomeni in Cœlis perducimur; quapropter ea hic recitari non pigebit. " In ipsis Ludorum meorum diebus, Sydus crinitum per septem dies, in " regione Cœli quæ sub Septentrionibus, est conspectum. Id oriebatur circa " undecimam horam diei, clarumq; & omnibus Terris conspicuum fuit ". Jam Ludos hos suos dedicavit *Augustus Veneri Genetrici* (nam à Deâ *Venere* prognatos se jactavêre *Cæsares*) & à Natalibus suis, die scil. 23° *Septembris* inchoatos per septiduum continuavit; ut ex fragmento antiqui Calendarii

Romani

Romani apud *Gruterum*, pag. 135 *Nov. Edit.* colligere licet. Per hos autem septem dies comparuit Cometa teste *Cæsare*: Nihil tamen obstat quin etiam ante & post dies illos conspicuus fuerit. Quod vero dicatur visum fuisse Cometam *sub Septentrionibus*, minime intelligendum est quasi in Boreâ Cœli parte sub Polo apparuerit, sed sub *septem Trionibus*, *i. e.* infra Stellas lucidiores *Ursæ Majoris*. *Horâ* autem *undecimâ diei* ortum fuisse nullo modo concipi potest; quapropter loco *diei* legatur *noctis*, vel omissâ eâ voce, uti legitur apud *Suetonium*: Sole enim prope æquinoctium autumnale tum constituto, hora undecima *Romana*, quâ ortus Cometa dicitur, cœpit à quartâ matutinâ nostri computi; ita ut inter quartam & quintam, quasi sesquihorâ ante Solis exortum oriri judicabatur: Præcedebat igitur Solem viginti circiter gradus, quod de principio apparitionis, vel saltem septidui dicti, intelligi debet. Quo tempore vero sub septem Trionibus fulsit, multo citius oriebatur, ac latitudinem habuit Borealem sat magnam, motu Retrogrado è Signo *Virginis* in *Cancrum* latus; emenso scilicet spatio inter *Leonem* & *Ursam* intermedio.

Jam si retineatur situs Orbis Cometæ anni 1680 respectu Fixarum, ac ponatur Perihelion ejus anno ante Christum natum 44to, circa *Septembris* diem 18^{vum}. Calculo utcunque instituto, statim patebit cursum Cometæ, in ascensu ejus à Sole, ubi maximam projecit Caudam, *clarumq; erat & omnibus Terris conspicuum sydus*, cursui hujus ab *Augusto Cæsare* descripti satis congruere. Proinde haudquaquam absurdum erit si Cometam à *Cæsare* visum, absolutis tribus revolutionibus, anno 1680 nobis denuò affulsisse credamus; præsertim cum ad æqualia temporis intervalla, annis sc. *Christi* 531 & 1106, similes quoq; Cometæ apparuerint.

Ponamus itaq; Periodum ejus 575 annorum esse proximè. Unde fiet Semiaxis major Ellipseos $575^{\frac{2}{3}}$ sive 69,14785, qualium media Terræ à Sole distantia sit 1. Earundem vero partium sit distantia perihelia 0,006175, qualem invenimus observationibus maxime congruam, atq; adeo Semiaxis Orbis conjugatus 0,92410; vel posito semiaxe majore = 1, fiet distantia Perihelia 0,000089301 cujus Logarithmus 5,950858; & Semiaxis minor 0,0133641 ejusq; Logarithmus 8,125939: His jactis fundamentis, Tabulam sequentem concinnavi, ejusdem pene formæ cum præcedente: Cum vero ob viciniam Solis non conspici poterit hic Cometa nisi quarto die à Perihelio, inchoatur Tabula à gradu quinto Anomaliæ Eccentri: Anguli etiam numerantur ab Aphelio, & Logarithmi sunt ipsarum rationum quas habent veræ Cometæ à Sole distantiæ ad mediam Solis à Terrâ distantiam. Porro ad decimas graduum computata est in priori parte, ne secundis differentiis ad debitam interpolationem opus sit.

TABULA

TABULA MOTUS COMETÆ
ANNIS MDCLXXX & MDCLXXXI VISI.

Anom. Eccentri.	Medius Motus Cometæ.	Diff. med. Motus.	Angulus ab Aphelio.	Diff. Angulorum.	Distantiæ à Sole Logar.	Differentia Logar.
° ′			° ′ ″	′ ″		
